SANCHO EL SABIO

N. 50001025 2

2RV
3334

OPUSCULA MEDICA

AUCTORE

MICHAELE ZABÂLA

CANTABRO

MEDICINÆ DOCTORE

ROMÆ
IN TYPOGRAPHIO PALEARINIANO
M D C C X C I

PRÆSIDUM FACULTATE

FRANCISCO GARDOQUIO V. C.

PATRICIO FLAVIOBRIGENSI

SAC. ROTÆ ROM. XII. VIRO

Faustè evénit, spectatissime Vir, quod in gravissimum Curiæ Rom. XII. virorum collegium ab Aug. Hispan. Rege designatus Urbem accesseris, ubi tuo adventu insignem tuæ comitatis, atq. doctrinæ opinionem non æquasti modò, verum etiam superasti. Quod sanè si cunctis jucundum accidit, mihi etiam jucundissimum, qui sub eodem tuo cælo natus, iisdemq. tecum olim in audiendà Sacrà Theologià disciplinis institutus, eandem Urbem accessi, eo animo ut quædam opu-

scu-

scula medica, a me diu elaborata, Tibi nuncuparem, tuoq. patrocinio commendarem.

Votis meis eà respondisti humanitate, qua & meum animum mirificè recreasti, meq. in spem maximam vocasti, Te meis studiis, ac laboribus patrocinari nunquàm defuturum.

Unum auguror, tantam animi tui facilitatem non solùm mihi utilem, sed communi etiam Patriæ fore gratissimam.

Vale.

A. L.

POst ingentes Procerum medicinæ conatus, de cognoscendis, & curandis morbis aut nova cudere præcepta, aut vetera restituere, supervacaneum reputamus. Posthàc unum esse videtur in votis prudentiorum artis medicæ cultorum, revocare ad severiorem Experimenti legitimi disciplinam dicta, factaq. majorum, in eàdem arte quovis nomine præstantium.

Scilicet ad reliqua hactenus assecuta, una superesse videtur medicinæ studiosis assequenda laborum meta, qualem inducit Seneca epist. 89.

STUDE, NON UT PLUS ALIIS SCIAS, SED UT MELIUS. Eidem collimamus & nos per sequentia opuscula. Faustis ne avibus an contra, tuum est, A. L., judicium.

INDEX TITULORUM

PARS I.

ELEMENTA CRITICES

EXPERIENTIÆ MEDICÆ

Cap. Primum. *Expenduntur hallucinationes inter experiendum medicis obviæ: quibus cavendis ostenditur Critices necessitas.* Pag. 1

Cap. Alterum. *Experientiæ medicæ Criterium.* 12

§. I. *Axiomata.* ib.

§. II. *De variâ Experientiæ medicæ naturâ* 16

§. III. *De methodo rectè experiundi.* 31

§. IV. *De loco Anatomes, Chymiæ, atq. Mechanices in arte medicâ.* 39

§. V. *De momento Auctoritatis, &c. in praxi medicâ.* 42

PARS II.

NUMERATÆ EXPERIENTIÆ

HACTENUS COMMENDATÆ

ALIQUOT EXEMPLA

Exemplum I. Praxis nostra medendi morbis Pectoris. 50

Exempl. II. De unius chinæ chinæ potestate in coercendis Febrib. Tertianis: adjectis nonnullis animadversionibus. 62

Exem-

Exempl. III. De Tolerantiæ commodis in Febrib. acutis anomalæ indolis. 66
Exempl. IV. De Tolerantiæ necessitate in Asthmate vulgari. 69
Exempl. V. De iniquâ Torturâ, vulgò usitatâ, ægrorum tam in Apoplexiâ, quam in Paralysi succedaneâ. 71
Exempl. VI. De ancipiti Fortunâ Emissariorum in ærumnis chronicis. 73
Exempl. VII. De indebitâ abstinentiâ Emeticorum in morbis Gravidarum, atq. Puerorum. 78
Exempl. VIII. De Valerianâ, atq. Cicutâ quædam Experimenta. 83

PARS III.

DE TRIBUS MEDICORUM PRÆSTIGIIS

Prologus. 90
Primum medicorum præstigium. Dies critici Hippocratis. 91
§. I. *Prælibanda.* ib.
§. II. *Momenta, quib. apertè confutatur Dogma Hippocratis.* 96
§. III. *Conclusio.* 103
Processus Diarius morborum n. 12. a. Dñi 1780 fidelitèr expositus. 106

§. *IV.*

§. *IV. Alterum medicor. præstigium. Ominosa hominib. vermium natura.* 118

Sectio I. *De Origine vermium corporis humani &c. varia auctorum placita.* ib.

§. I. *De origine, & fatis Vermium Animalium quid alij senserint?* ib.

§. II. *Cui bono, vel contra sint vermes in homine, communis hactenùs opinio.* 122

§. III. *Recensentur signa præsentiæ vermium ab AA. vulgò tradita, præcipuaq. eorum remedia.* 125

Sectio II. *De Vermium genesi, &c. verosimiliora.* 129.

§. I. *Pro Vermium animalium origine, fatis, et instinctu verosimilius interpretandis, Systema Buffonianum assumitur; indeq. variæ consecutiones deducuntur.* ib.

§. II. *De veris noxis vermium humanor. sive effectibus, sive socijs.* 133

§. III. *Quid sentiendum de malis quibusdam nequioribus, vesano cuipiam vermium ingenio hactenùs attributis?* 135

Sectio III. *De insonti, quinimò passivà in morbis, vulgò verminosis, vermium naturà.* 137

§. I. *Paucis præmissis, exponitur præjacta doctrina per*

§. II.

Experimenta, nedum eruditis, verùm et idiotis attentis passim obvia: adiectis corollarijs, et exemplis. ib.
§. II. *Varia AA. Testimonia doctrinam hactenùs præmissam confirmantia.* 143
§. III. *Symptomata peculiaria, a varijs AA. vermibus attributa, recensentur, expenduntur, refelluntur.* 146
§. IV. *Anthelminthicorum Specificorum encomia, in I. Sect. allata, breviter præstringuntur.* 150
§. V. *Expenduntur Generica Anthelminthica; i. e. Purgantia.* 152

Tertium medicorum præstigium. Contagium morbi Phthysici. 155

§. I. *Prolegomena.* ib.
§. II. *De Principum providentia ergà Phthysicos.* 158
§. III. *De natura, atq. varietate Contagij pauca.* 160
§. IV. *Explicatur nodus Controversiæ,* 163
§. V. *Votum Academiæ Medico-Florentinæ circa contagium Tabis Pulmonaris.* 165
§. VI. *Momenta Contagij patronis adversa, in praeced. Voto allegata, magis magisq. roborantur.* 177
§. VII. *Hallucinatio Contagionistarum, ad Experientiam provocantium, facilè demonstratur.* 181
§. VIII. *Ultima Contagij proscriptio.* 190

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſt.

F. X. Paſſeri Arch. Lariſſen. Viceſg.

IMPRIMATUR

Fr. Th. Maria Mamachius O. P. S. Palatii Apoſtolici Magiſter.

PARS I.

ELEMENTA CRITICES EXPERIENTIÆ MEDICÆ.

CAPUT I.

Expenduntur hallucinationes inter experiendum medicis obviæ : quibus cavendis oſtenditur criticés neceſſitas .

1. ARtes omnes Experientia fecit, exemplo monstrante viam : alitèr tamèn & alitèr : quandoquidem in aliis, ex. gr. militari , & nauticà, licet eventus ante casum æquè, imò magis incerti sint, ac in arte medicà , attamen momento posteà panduntur ut plurimùm nedùm causæ, verum & ordo causarum : Sic illicò post pugnam patet plerumque Ducibus ratio genuina seu cladis , seu victoriæ; & vix obtento portu post evasam syrtem, aut procellam , novit nauclerus causam præteriti discriminis : & ita emendationi locus est. In Medicinà contra , etiam post emensum gravis morbi conflictum, quisquis tandem fuerit eventus , ratio hujus genuina medico , etiam sagácissimo, vix innotescit : unde inemendabilis error æternùm urget „ Cum sit periculum in nullo mendacio majus „ ut inquit Plinius (1) .

2. Propterea eximià prudentià opus est medicinæ præ aliarum artium cultoribus ; neq. tamen dabitur , nisi ex-

(1) Histor. natur. Lib. xxix. cap. 1.

quisitiorem experiundi viam sectantibus. Morborum siquidem curatio, unicus hujus artis scopus, certissimo decreto Sectæ Empiricæ (1), solis obtinetur remediis: Remedia autem morborum, quotquot unquàm fuerunt, vel erunt verè talia, nonnisi puro puto experimento probantur: Ita ut summus v. gr. Anatomicus æquè ignoret, qui sint, & qualitèr curandi morbi corporis humani, ac ignorat Gesticulator vagus, nisi de eorum naturà, atq. remediis interfuerint vel propria observata, vel aliorum.

3. Neq. id novum. Primæva quippe artis medicæ documenta nihil aliud fuerunt, nisi tabulæ templorum columnis appensæ, in quib. experimenta morborum, remediorumq. eisdem applicatorum describebantur (2). Quæ artis infantia progressu temporis, relictà, quasi dicam, Prætextà, adolescentem, atque virilem habitum adipisci quidem cœpit; ita tamen, ut nostro etiam ævo talium rudimentorum, non tam reformationem, quam perfectionem viri omnes cordati desiderent: utpote qui optimè norunt, in Clinicès administratione, excussà longè cujusvis Patroni tyrannide, meras observationes, nitidamve Experientiam procurandam esse.

4. Universale igitur axioma, quod præ foribus artis medicæ affigendum est, illud est „ Quod Experientia est potissima regula curandi morbos „ Non enim datur hodie in arte salutari locus inaccessis Oraculorum Responsis; multoque minus nodis verborum, atq. parabolarum hie-

ro-

(1) Corn. Celsus Op. omn. Lib. 1. Præfat. .

(2) Strabo Geograph. Lib. xiv. verbo Caria, Hippocr. citans. Videatur etiam Hieron. Mercurial. Gymnast. Lib. 1. cap. 1.

roglyphicis; sicuti olim usu venit in Dogmaticorum, atq. Spagiricorum scholis. Posthac dubitari non licet, quodnam sit corculum; qualis vitalis succus; quisnam genuinus spiritus artis medicæ: ea est videlicet nuda sensuum Experientia, nulli Scholæ, nullius medicinæ Principis religioni, sed propriis oculis, atq. manibus, i. e. impigro labori dicata: juxta Epiphonema, quo occupat suos in medicina tyrones Rec. Præceptor Ill. (1), dicendo „ Habetis igitur, Adolescentes, optimum signum, optimamq. regulam internoscendi, quænam a vobis audita, lectave, aut etiam observata habeatis tanquam bona, vel contra. Scil. omne id, quod est purum putum Factum; quodque tale reverà esse & conspicitis oculis vestris, & attrectatis manibus vestris, id solum modò æstimate aliquo pretio. Discite cautè: Quippe veritatis notitia nunquam fuit supervacanea; illud verò quod vobis exhibitum fuerit præ se ferens speciem veritatis, etiam speciosissimam, nisi tamen id genuinum factum fuerit, nisive illud tangatis manib. vestris, etiamsi porrigatur a famigeratissimo, atq. gravissimæ auctoritatis sive Scriptore, sive Magistro, è vestigio rejicite „ Hæccine L. A. cujus doctrinæ memoria perpetuò redibit in seqq.

5. Itaque satis est in posterum nobis Clinicis, quod fallamur passim experiundo; quod idem demonstrare aggredimur; quin etiam fallamur divinando. Experiendo, inquam: Siquidem Experientiam omnes ubiq. ja-

 ctant,

(1) Dominicus Cotugno Oraz. inaugur. Dello Spirito della Medicina. Napoli 1772.

ctant, Doctus æquè, ac Indoctus, Judæus, Monachus, Histrio, Rasor, & Anus. Quinimo Experientia ut sic, i. e. malè parta, est ultima ratio non solum medicorum, verùm & reliquorum in populo errorum; uti nedùm in præsenti, sed & in seqq. opusculis perpetuò demonstrabitur. Nam si fallere, fallique humanum est ubique, multo magis in arte medicà; ubi res agitur in caliginoso theatro, & ab actore illusorio: a naturà scilicet ubivis ludente, ac sensus medicorum, etiam expertissimorum, sæpè illudente; & ubi similitudines ipsæ plurium reverà diversorum Phænomenων, passim nobis præbent erroris ansam; uti jam monuit Hippocr. (1); quem verò errorem talem non esse illatione quapiam Logicà demonstrare satagimus; & facilè obtinemus: donec alij casus feliciores iterum ad perplexitatem nos cogant. Et ita porrò inter varios casuum, atq. perplexitatum fluctus cum nostrà metipsà, atq. aliorum prætensà Experientià colluctamur.

6. Siccine rimula erroris rimæ hallucinationis succenturiat, trahimurque libenter in scholam, seu dogma duplici quasi fascino nobis devotum; quorum alterum est gloriola proprij nominis, quod enixè colimus; cuiq. in dies celebriori reddendo volupè audemus quidquid ingenio pollemus; cosdemq. ausus Experientiam vocamus, i. e. „ Posse tradimus, quia posse nobis videtur „ more sociorum Æneæ (Virg. Æneid. v.): Ex philautia nimirum, cujus astu omnia quoquo nomine sive Phantasiæ, sive Experientiæ vertuntur æquè. Alterum est obse-

(1) Epidem. v. Sect. a.

sequium patroni, utputa Hippocratis, Boerhavij, &c. cui obfirmato animo nomen dedimus (*).

7. Inter miseranda hujuscemodi probrosæ hallucinationis exempla recensere sufficiat Bezoar, seu Bezoartica medicamenta(**): Quorum immane robur contra quæcunq. venena; imò contra quosvis desperatos morbos, malignos, pestilentes &c., ab Avenzoar primùm inter Arabes in Europam invectum, ab omnib. ferè in posterùm Clinicis prædicatum est, suffragante eisdem, quod mirum, ipsomet Sydenhamo (1): Omnib. ad Experientiam provocantibus; centenisq. ægris tanto Alexipharmaco desperatam vitam redemisse sibi plaudentibus. Donec max. Redi (2), alijque præteriti ævi nasuti viri, tantum indignati medicæ artis ludibrium, Bezoarticorum remediorum fucum ostenderunt. In quorum tamen locum, ne orphana quereretur medicina, retentum est adhùc

(*) Ita sanè flagrante Peste ad Urbinatem Italiæ Ditionem an. Dñi 1590., acerrimàq. excitatà concertatione inter medicos Scholæ Patavinæ, a Duce Urbinate consultos „ De tentandis necne Vessicantibus „ Hercules Saxonia invictis argumentis concluſit pro eorũd. utilitate, adversùs Alex. Massaria, qui eousq. repugnavit, ut palam proteſtatus ſit „ Se malle cum Galeno errare, quam ſapere cum Recentioribus „ Cujus dicterij vanitas a ſexcentis poſtea recte ſapientib. irriſa eſt. Vid. Freind Hiſtor. medic. ad an. prædictum.

(**) Lapidosæ concrectiones figuræ plerumq. ovalis (morboſæ, an ſpontaneæ, non conſtat), in Ventriculo, alijſque corporis locis, cervorum, aliarumq. Ferarum pernicium, ad utramq. Indiam quandoq. repertæ donabantur hoc nomine: vel etiam lucelli cauſa Factitiæ ſubſtituebantur. De quib. vid. Nicol. Monardes Hiſtor. aromat. Indiæ Orient. cap. 1.

(1) Sect. 1. cap. 2. Item Sect. VI. cap. 6.

(2) To. II. Eſper. diverſe al P. Chirchero.

adhùc Castoreum in gratiam Galeni, de quo infrà suo loco. Imo; ut de aucto patrimonio lætabunda exultaret, alia suffecta sunt si non æquè frivola, saltèm subdola antidota, uti Camphora, Contrayerva, Serpentaria virginiana, aliaq; innumera, mercimoniæ potius irritamenta, quam vera morborum auxilia *.

8. Hæc sufficiunt; sed majora supersunt, quibus pateat, prodigum semper fuisse, atq. futurum esse, nisi coerceatur Criticès habenis, medicorum ingenium in audendo quolibet. Quibus nobilis Rec. Italus perbellè adplicuit sequentia (1): Quin potius optandum foret, ut in re tanti momenti, qualis est sanitas hominis, Experientia, atq. observatio extirparent tandem pro semper tot quæstiones, atque cerebrosas opiniones, quæ sub variè personatà specie medicinam sæpè in diversum agunt. Non est sola Phlebotomia, quæ exhibet nobis melancholicam quandam circulationem opinionum, atq. Praxeωv contradictoriarum in curandis morbis. Universa proh dolor! Schola medica subjacet motui perpetuo ritùs scurrilis (la moda), plusquàm taberna Institoris.

9. Quinquaginta ab hinc annis, *pergit Censor noster*, medebantur Clinici morbis, torquendo ægros adurente siti: aquæ guttula, Deus avertat, reputabatur adinstàr veneni: momento postea erupit diluvium aquarum, modò cali-

(*) Talium remediorum vulgo decantatas vires ingenuè perstringit nob. Rec. Scotus Thomas Withers, Observat. De usu & abusu remediorum Sect. III. Cui consentit anonym. Anglus, Reflections on the Fever's cure. London 1772. §§ „ Camphora, Castoreum, Contrayerva, &c.

(1) Tract. anonymo, Del Salasso. §. X. Rifless. generali &c. tirate dall' Encycloped. tit. *Saignée*.

calidæ, modò frigidæ, modò verò temperatæ: ita ut hodiedùm qui nescit suffocare, nesciat mederi. Olim habebantur loco Specificorum Electuaria, Syrupi, Confectiones Galenicæ; Pluraq. alia Kakodiabola apozemata, Pharmacopolas mactè ditantia. Nunc autem loco panaceæ reputatur exanimare ægros detractione sãguinis, adinstàr Senecæ.

10. Apud nostrates, *sequitur idem*, promovetur exhalatio halitus perspirabilis: contra, apud Ægyptios ægroti obteguntur pice pro arcendà perspiratione. Loco pillularum, atq. Specierum, quas ingurgitant ægroti nostrates, medici Japonenses modò perfodiunt acu perlongà, modò còmburunt igne quempiam locum corporis ægrorum suorum. Moschi sibi medentur, aut saltem medebantur olim, in quovis ingruente morbo, abdendo se se in furnum probè calidum; inde anhelitu penè deficiente, prodibant ad hauriendum aerem frigidiusculum; iterumq. redibant ad pristinum hypocaustum; ubi, dum propè ustulati essent adinstàr Gambarorum, proripiebant se se in flumen quodpiam, vel obruebantur nive. Intereà de oppositis adeo medendi methodis narrantur mira.

11. Jam vero quoties contingit sanitas, *concludit A.*, post medendi rationes adeò insigniter oppositas, suspicari prudentèr oportet, quotquot adhibitæ sunt, fuisse falsas; sanitatemq. inde sequutam, fuisse opus solius naturæ: Quæ nimirum potens fuit superare tot Kakodæmonas hostes, eandem opprimere jam jam molientes. Utpote quia hominis vita extinguitur quidem nonnunquàm ad levem aeris flatum, resistit attamen sæpius erroribus turmatim ingruentibus. Hactenùs L. Censor.

Fatil

Jam verò Experientia, tot nominibus infida, meræ opinionis limites non transcendit. Unde non mirum, si Medica Scientia nedùm vulgò, verùm & apud prudentissimos cujusq. gentis, & ordinis viros, Scientiæ nimiùm versatilis, meræ conjecturalis, & similibus notis taxata fuerit (*).

12. Redit ergo ad idem punctum omnis circuitus verborum; quod erat „ Artem criticam necessariam esse pro discernendis, & cavendis erroribus nomine Experientiæ vulgaribus in arte medicà „ Enim verò præter hactenùs dictos, alij passim, atq. alij scaturiunt in experiundo hallucinationum fontes, tam reales, quàm morales, quibus obstruendis impar est omnis doctrina, nisi accedat Criticès disciplina. Inter priores, seu reales, maximus est natura ipsius hominis, nedùm bifrons, sed versatilissima: ob quam sæpè contingit, in homine tam benè valente, quam ægrotante, primo saltem aspectu, Frigida v. gr. non pugnare cum Calidis, nec Humentia cum Siccis: Unde est quod unaquæque medicorum natio aliquid se invenisse prodit, quod reliquis anteponat: non utcumq., sed sistendo id ipsum ad Experientiæ tribunal: & æquo sæpe unusquisq. jure; ex eo quod natura obsequitur multoties incunctanter quocumq. trahitur, uti mox ajebat censor Italus. Utrum vero id contingat bonà, an potius malà spon-

(*) Tales sunt I. Baco Verulam. Anglus To. II. De Interpret. naturæ cap. 2. ubi fuse veteres imposturæ insimulat, & aliàs passim. II. Muratorius Italus Libello, Buon gusto cap. 13. III. Feijoo Hieron. Hispanus, Teatro Critico, &c. To. III. Verdad vindicada: & aliàs passim.

spontè ipsius naturæ, pertinet ad criterium rationis. Res clarescet exemplis.

13. Primum tenet in hominib. cujuscunq. generis morum, populi, & gentis. Scil. experimur passim, æquà fermè sanitate frui homines etiamsi contrario vitæ regimine utentes; diversissima ciborum, potùs, aeris, morumque reliquorum studia sectantes: i. e., tam qui „ Simùl assis miscent elixa; simul conchylia turdis „ ex Horat. Sermon. Lib. II. serm. 2., alijsque stupendis gulæ irritamentis, quam quibus sunt universæ dapes, ciceris olla simplex, aut pulmentum ex castaneis.

14. Alterum tenet in hominibus peculiaris cujuspiam gentis, atq. familiæ, qui etiam infamibus venenis consuescunt impunè: Pro quo nota est narratio Eq. Linnæi (1) de Vetula Laponica, quæ ex Aconito (plantà venefica) parare solebat ferculum familiæ suæ. Nota pariter est Orientalium Turcarum morositas in perpetim devorando opio pro conciliandà sibi alacritate animi (2). Similia passim occurunt in historià medicà.

15. Hæc, inquam, plane demonstrant, ab enormi sæpe methodi vivendi varietate vix variari statum hominis sani. Quidni hoc idem contingat cum homine ægrotante? Quandoq. saltem ita evenire, i. e., ex insigni varietate tractandi morbum aliquem, eundem tamen vix variare, sequens ostendit exemplum. Magn. Boerhavius agens de methodo medendi Febrib. Intermittentibus aphor. 762. inquit „ Venæ sectio per se nocet semper: juvat

(1) Flora Laponica pag. 179.
(2) Christoph. Acosta, Tract. aromat. Indiæ, &c. c. 68.

vat autem casu „ Eidem consentit Sydenhamus (1), & alii passim. Contra : Do. Huxam (2) ; alijque plures ; & universim Clinici nostrates, eandem in eodem morbo Venæ sectionem promiscuè commendant, et celebrant. Re tamen ipsà febres hujusmodi ne hilum quidem variare, i. e, eàdem constantià redire, sive mittatur sanguis, sive secùs, vulgatissimum est. De quo alibi fusiùs.

16. Inquies ; Quis hæc nesciat ? Sed insisto : Quis pariter nescit, eàdem mentis præsumptione occupatos fuisse circa curationem Pleuritidis, vulgatissimi cæterùm morbi, tres perspicacissimos viros Helmontium (3), Baglivium (4), atq. Trillerum (5) ? Quid ergo est, quod adeò enormitèr aberrarunt inter se circa usum, ac fructum Phlebotomiæ ; altero exsecrante, altero consecrante, alio vero, i. e. Baglivio, restringente tantum præsidium ? Ex defectu videlicet Criticès in negotio, quod æque singuli præ oculis habebant, nempè in experiundo. Quis tandem nescit (plura prætereo consulto), ad idem Experimentum provocasse binos labentis ævi celeberrimos Italiæ Clinicos, Bernardin. Ramazzini, atq. Franc. Torti circa vires corticis Peruv. adversùs febres Intermittentes, vel etiam Remittentes mali moris : altero nempe damnante, altero contrà extollente similes vires ? (6)

„ Ratio-

(1) Op. omn. Sect. I. cap. 5.

(2) Op. omn. cap. 2. De Febrib. Intermitten:

(3) Op. omn. Lugd. 1667. pag. 243. & alibi passim.

(4) Prax. med. cap. De Pleurit.

(5) Tract De Pleuritide cap. II.

(6) Respons. Iatro-apologet. ad critic. Dissert. De abusu Chinæ chinæ Ramazzini.

„ Rationabilem quidèm medicinam, esse debere, inquit Corn. Celsus (1), instrui verò ab evidentibus; obscuris omnib. non a mente artificis, sed ab arte ipsà rejectis „ Contra passim evenit: omnes omnia audent, ac sacro nomine Experientiæ tuentur pusilli pariter, ac magni medicinæ magistri.

17. Inter posteriores, seu morales (sup. n. 12.) maximus est Anxietas nimia ipsorum ægrorum, vel adstantium Compendij cujuspiam, insigniter abrumpentis morborum moras: vel etiam contra Morositas procrastinandi citissimam, sæpè necessariam, morbi medelam. Cui accedit servile obsequium Clinicorum morem gerendi liberaliter ingenio sive ægrotantis, sive adstantium. Interea muto idiomate loquitur natura; æger contrà, clinicus, adstantesq. sonoro valdè. Cui ergo parendum? Id unum quæritur.

CAP.

(1) Op. omn. Lib. I. Præfat.

CAP. ALTERUM:

EXPERIENTIÆ MEDICÆ CRITERIUM.

§. I. *Axiomata.*

18. Criterij nomine intelligitur vulgo Acris supputatio mentis, discernens verum a falso : aperiendo latentia utriusq. adyta; sinceraq. reddendo propria cujusq. attributa. Quæ sanè congruè aptari potest cuicunq. Scientiæ, utputa medicæ.

Antequam verò aggrediamur praxim hujus doctrinæ in subjectà materià, disserere oportet quædam axiomata, quæ sint veluti faculæ perpetuò lucentes ad ædem Experientiæ medicæ.

19. Primum. Omnium phænomenωv, sicuti in sanitate, ita & in morbis, hominibus contingentium causa effectiva unica est ejusdem hominis natura : Exceptis tantum effectibus, a vi externà proximè (nec ultrà) productis : utputa Vulnere, Luxatione, Ustulatione, & siquibus alijs, a vi externà vulnerante, contundente, distrahente, comburente, &c. inflictis. Ita ut & ipsi remoti effectus suborientes ex prædictis causis, uti hæmorrhagia magis, vel minùs incitata, suppuratio, spasmus, &c. agnoscant etiam pro causà effectivà unicà eandem hominis naturam : Artem verò qualemcunque nullam præstare symbolam, præter naturæ ipsius administram; utputa Excitantem, Remorantem, Distrahentem, impedimenta removentem. Sic opium in dolore lancinante;ita sanguinis missio in anginà strangulante, etsi medicamina omnium invictissi-

ma

na, nunquam sedant morbum, Renuente, sempèr verò Annuente, naturà.

20. Quin obstet contrarium dictamen Do. Cullen nobilis Rec. Scoti, ex versione, & comment. Do. Bosquillon Elemens de medecine pratique. Paris 1787.: ubi remedijs æquo nimis, naturæ contra minùs favere in morbis curandis profitetur palàm. Attamèn inani conatu, nimià, proh dolor! Expericntia judice, atq. optimo teste Hippocrate; tum alibi, cum maximè Epidem. VI. Sect. 5., per vulgare axioma „ Naturæ morborum medicatrices „ Item Corn. Celso Lib. III. cap. 1. per illa verba „ Utpote cum, repugnante naturà, nihil medicina proficit „ Quinimò; proficiente sæpe naturà, totà licet repugnante medicinà: quippè quæ neutiquam est quasi Bajulus vehens naturam quocunque, velit nolit, sed potius quasi Baculus penes debilem pedibus, adjuvans naturam, ut per se met incedat, se atq. Baculum, i. e. remedium, simul substentans.

21. Ad rem perventus fatetur cum omnib. prudentib. L. A., recens natos infantes, effœtos senes, tabidosque deploratos frustra vexari remedijs. Quid ita? Si remedia pollent vincere invitam naturam, cur non horum? Nec valet tortum in nos argumentum: quippe qui sanctè fatemur, Remedia tollere morbos, opitulando naturæ victrici, non victæ. Quid multa? Nulla datur in homine potestas infligendi alteri homini morbum internum, quem vult, seu præmeditatum; v. gr. Febrim Tertianam, Pleuritidem, Anginam, Rheumatismum, Podagram, &c.: Pauca si excipias; scil. Luem veneream, Variolas, atq. Scabiem per

con-

contagium: mictum, & alvum torminosam, vomitumq. enormem per poculum virulentum; tandemq. soporem, aut lethargum per opium. His, inquam, exceptis, imò damnatis, nulla est in medico facultas neq. infligendi certà methodo, i. e. sublato casu, neque commutandi unam morbi speciem in aliam. Omnia autem hæc & potest, & solet passim natura domina. Æquum est igitur fateri Artem Medicam in curatione morborum famulam tantummodo naturæ, non dominam.

22. Secundum. Ne hilum progredi potest quis in arte medendi, nisi per discretam observationem Juvantium, atq. Nocentium in congressu naturæ medicæ, morbi, atq. remediorum. Quare scientiam medicam exactè definimus dicendo, eam esse „ Simplicem notionem auxiliorum naturæ humanæ sive ægrotanti, sive valenti hic, & nunc juvantium, atque nocentium „ Artem verò medicam, Rectum talium notionum usum.

23. Tertium. Præd. notionis potissima obstacula sunt tria. Primum, & maximum est difficultas noscendi genium certum morbi singularis, inconfusumq. statum naturæ ejusdem medicatricis. Quo proinde devicto, facile evincitur: Alterum, idque infimum (certe apud nos, secus ac ante nos fuerat); id est, difficultas noscendi vires auxiliorum in semetipsis: quippe quorum copia quasi diffluit inter digitos. Tertium inter utrumque medium, imo maximo æquiparandum, est difficultas noscendi tempus, seu occasionem morbi opportunam utendi frugi eisdem cognitis auxilijs. Exemplo corticis Peruv.: cujus eximiæ dotes adversum febres Periodicas, ob præposterum usum

sum

sum, puta tempore paroxysmi loco apyrexiæ, versæ sunt olim, & adhuc vertuntur in infamiam: De quo & monent passim AA., & rationem tradit celeb. de Hales (1). Idem puta de Phlebotomia in morbis inflammatorijs, &c.

24. Quartum. Huc accedit difficultas noscendi rectam providentiam, sive œconomiam auxiliorum: valde enim discrepant effectus eorum pro vario usu singulorum. Sic acida, uti acetum, vitriolum, nitrum, &c. in dosi refractà, seu valde diluta, refrigerant; in solidum vero, seu non satis refracta, urunt. Viceversa; tam emetica, quam drastica medicamenta; quinimo ipsamet venena valde diluta, fiunt vel purgantia, vel diuretica, vel etiam nulla. Hinc etiam duo illa medicinæ incommoda. Primum: Quod natura oppido solutura morbum, v. gr. postridie, sibi soli relicta, pridie arte adjuta, seu mavis, turbata, neutiquam solvit. Alterum: Quod plurima remedia, & forsitan ex obvijs, despiciuntur a nobis tanquam inutilia; quia parciori quam par est, dosi adhibita, quà proinde rite auctà forent efficacia.

25. Quintum denique axioma est „ Non licet in arte medica neque facere, neq. facta intelligere per plura, quæ fieri possunt, & solent per pauciora „ Cui coincidit hoc aliud „ Nihil est medico ita gloriosum, quam paucissimis tollere morbum „

Neglectu horum philautia hominum impegit artem salutarem in chaos arbitrarij dogmatis. Cui aggerem ponere est unicus scopus horum elementorum.

§. II.

(1) Hæmastatic. Exper. XVIII. n. 270.

§. II. *De varia Experientiæ medicæ natura.*

26. Ut Experientiam medicam recte definire possimus, præmittere oportet, quid sit observatio medica; utpote quæ radix est Experientiæ. Est autem observatio isthæc „ Perceptio sensibus externis adquisita phænomeni, ad morbum respectum habentis, Semel aut Bis habita „ Hinc Experientia medica nihil est aliud, quam prædicta „ Observatio ejusdem phænomeni, non *Semel*, aut *Bis*, sed *Sæpe* repetita „ Quæ definitiones, ita conceptæ, æque conveniunt omnibus observationibus, atq. Experientijs medicis, ac differunt a reliquis aliorum ordinum, utputa militari, nauticà, &c.

27. Experientia itaq. medica sic definita, alia est Legitima, seu recta; alia vero Spuria, seu prava.

Exhibentur utriusque characteres, atque varietates; additis exemplis: præfigendo paradigma, seu typum utriusq., uti sequitur.

Typus Experientiæ legitimæ. Ut effectus A in arte medica tuto attribui possit alicui causæ, puta B, oportet, quod effectus isthic A suboriatur semel ac existit, vel applicatur causa isthæc B (*). Saltem, ut plurimum seu toties quoties apparet nobis, concurrere easdem circumstantias, sub quib. talem effectum a tali causa aliàs ortum fuisse prædicatur.

28. Ty-

(*) Ad eandem lancem expensa fuerunt olim a Cl. Newton „ De Regulis Philosophandi, Lib. III. Reg. 3. „ Primaria corporum attributa, seu Proprietates. Et jure merito: Siquidem subjectum, seu mavis, instrumenta Exper. medicæ sunt etiam ipsissima attributa corporum; etiamsi nobis occulta, donec per quæsitam Experientiam reddantur manifesta.

28. Typus Experientiæ Spuriæ. Contrarium evenit in Experientia Spuria. Scil. Deficiente effectu A in concursu causæ B, simulque circumstantiarum, quas fertur, aliàs concurrisse, arguendum est, allegatam Experientiam esse, vel fuisse falsam. Additur consultò *Ut plurimum*. Quia in praxi medica τῶ *Perpetuo*, *Semper*, & similibus adverbijs, rigidè sumptis, non datur locus. Quibus præmissis;

29. Experientia Legitima dividitur, seu alia est Universalis, i. e, quæ versatur circa effectus communes omnibus hominibus: Quæ rursus alia est Primitiva, seu Principiorum: uti quod, vel deficiente, vel corrupto omni cibo, potu, aere, pulsu arteriarum, &c. vel deficit, vel corrumpitur vita. Vel quasi Principiorum; uti quod vehementer colliso cerebro; rescisso magno vase, membri alicujus nervo principe, &c. deficit vita totius, aut membri taliter offensi. Alia est Derivativa: talis est, quam habemus de successionibus morborum ab alio in alium, uti cum, suppressa una evacuatione, renascitur altera; v. gr. suppressà Diaphoresi, catarrhus: & plura alia, doctrinam de Revulsionib., atq. Metastasibus morborum apprimè illustrantia.

30. Alia tandèm est quam habemus de effectibus artis sequelis. Talis est primo: Quod malum comitans pulsum perseveranter (v.gr. per biduum) turgidum, venæ sectione minuitur: Secundo: Quod graciles homines liberaliorem venæ sectionem frugiferunt, secùs torosi, ac præpingues. Tertio: Quod eo est deterior, cæteris paribus, morbus acutus; i. e. eo magis dubia ejusdem ab arte medela, quo sanguis in eo emissus aspectu pulcrior;

quo fœdior, eo certior vel sanitas, vel saltem indicatio auxiliorum; ut puta iterandi sanguinis missionem. Quod loco paradoxi vulgò habitum; jam verò loco aphorismi meritò habendum. Et plura alia, therapeuticem singularem morborum, nimis diffluentem, coarctantia.

31. Alia Particularis: Qualis est illa, quæ habetur de morbis (idem puta de remediis) quos vocant Idiopathicos, seu singulis hominum peculiares; ut puta cum errores vitæ communes in Subjectis singularibus A, B, C, crumpunt in anginam, pleuritidem, hæmorrhagiam quamlibet, & non in alium morbum: ut plurimum scilicet. Item: cum sive alimentum, sive medicamentum certarum virium, ut puta Piscis, Cassia &c. in Subjecto per idiosyncrasiam, quam vocant, prædisposito, pervertitur in aliud, v. gr. Emeticum.

Talis pariter est Experientia, quam unusquisq. Clinicorum possidet de methodo singulari, ac certà medendi morbo cuipiam præ aliis.

32. Tertio loco venit Experientia Perpetua (plerumq.): quæ duplex est; altera constanter constans; uti diminutio doloris simul, & febris ex venæ sectione in Pleuriticis, ac febris Perniciosæ ex cortice Peruv., ritè administratis. Altera verò claudicans, seu constanter inconstans: uti curatio morbi acuti incerti generis, seu febris anomalæ indolis per usum utriusvis ex modò laudatis remediis.

33 Eadem Legitima Experientia alia est Positiva; alia vero Negativa. Prima est, quam habemus in morbis, De effectu conspicuo excitato ad occursum cujuspiam cau-

sæ

sæ. Altera contra, quam habemus, De carentia prædicti effectus in concursu ejusdem causæ. Circa utramque exempla sunt obvia. Sic Experientiam Positivam habemus de evacuatione peculiari excitata per Mercurium, Sennam, Cantharides, Malvam, Ipecacuannam, &c. in dosi, & usu congruis. Circa subjectum Exper. Negativæ obvia pariter, imo plura prostant exempla, quàm in Positiva. Sic Exper. Negativam, i. e., nullam, habemus de vi corticis Peruv. ad provocandum phthialismum, ad sedandum Rheumatismum acutum, &c. Quæ tamen Experientiæ species aptiùs forsitan vocari posset Exclusiva.

34. Quidquid sit, maxima discriminis inter utramq. ratio constat ex seq. canone „ Quod ad statuendam Legitimam Experientiam Positivam innumera fermè requiruntur observata, in idem conspirantia; ad Negativam contra, seu Exclusivam legitimè probandam, pauca sufficiunt; imò quandoque vel unicum „ Sic ad arguendum de arcano quopiam jactato pro invictè vulnerario, quod destitutum sit simili virtute, sufficit, quod in primo obviam vulnere, etiam adhibitis cunctis ab auctore requisitis cautelis, effectum decantatum non præstet. Et sic de aliis.

35. Potissima tandem Experientia Legitima est Univoca: Quam scilicet habemus „ De unico, seu singulari effectu in conspectu unicæ, seu singularis causæ „ vel etiam „ De efficacia solius causæ A, etiamsi simùl concurrant & aliæ B, C, D „ Sic Experientiam Univocam habemus de efficacia solius Venæ sectionis ad vincendam

validam Pleuritidem ; solius corticis Peruv. ad expugnandam febrim Perniciosam : Et sic de aliis .

Nota . Hanc vocabimus in posterum *Numeratam Experientiam*; in qua scil. unicè latet indubius character progressùs in arte medica. Eadem est mensura primorum ingeniorum in hoc Scientiæ genere. Hùc accommodandi sunt omnes Clinicorum conatus. De Præceptis Medicinæ scriptum est satis : restat unicè scribendum, atque probandum, de *Numeratè*, sive Univocè expertis. Hæc est meta nostri laboris. Igitur oportet sedulò expendere hanc rem.

36. Ex tali Experientiæ characterе descendit, quod omnis composita medicinam administrandi methodus pugnat cum eàdem : De simplicibus verò aliæ sic ; aliæ verò non ; sequenti lege.

Quotiès posita methodo simplici A (idem dic de remedio A), etiamsi reliquæ deficiant, citò tutò tollitur (plerumque) morbus, methodus, & remedium talia censenda sunt genuina : Quoties, reliquis præsentibus, illà tamen absente, non tollitur, reliqua illa præsentia censenda sunt Spuria. Sic experimur, alium morbum tolli citò tutò solà venæ sectione ; alium solo cortice Peruv. ; alium solo Opio ; alium solà alvi ductione ; alium sola rejectione per emeticum ; alium decoctione solius Malvæ ; alium solo ignis calore ; alium solo nivis frigore ; alium sola equitatione ; alium solis balneis ; alium solis cauteriis ; alium solis fasciis, membra scissa, luxata, fracta ritè colligantibus : Alios contra solo vitæ regimine, & abstinentia ab omnibus remediis, & signatè

Phar-

Pharmacis. Hac lege Erysipelas, Morbilli, Variolæ benignæ citò tutò tolluntur sola quiete rite contecti corporis in athmosphæra liberali; suppositis utiq. congruis vitæ alimentis; neq. ulla alia præsidia ægros istos reddunt beatiores; utpote in quibus præ alijs sola natura medicum agit, cui ars æquare non valet.

37. Habemus igitur de singulis horum Experientiam Univocam. Contra: Neutiquam videmus, neq. citò, neq. tutò tolli ullum morbum solo Castoreo, Succino, Camphora, Nitro, Contrayervà, Cicutà, &c. vel etiam solo arcano quocumq. composito (uno excepto Opiato) Anthysterico-Epileptico-Hectico, &c. Si quis igitur supralaudatis præsidijs conjungat & isthæc, quidquid inde evenerit, i. e., sive solvatur morbus, sive secùs, pariet ad summum Experientiam subdolam.

Nisi de his, & similibus sanciatur animo concordi inter Clinicos, medicam artem perpetuis hallucinationum, atq. bellorum fluctibus miserè agitatam frustrà dolebit querula Philosophia. Et hactenùs de Experientia Medica Legitima.

38. Jam vero primum inter Spurias locum obtinet Experientia Æquivoca, per omnia præcedenti adversa. Illa nimirùm, quæ habetur „ De unico. vel etiam pluribus effectibus in concursu plurium causarum,, Talis est quæ vulgò traditur de salutari effectu Fonticulorum emissariorum in cachecticis corporibus; de quo alibi seorsim. Eadem confusio militat sive causæ, sive effectus tam in diagnosi, quam in prognosi captis, sive a lingua ægrorum, sive ab urina, sive a sudore in morbis acutis.

39. Plurima sanè hallucinationum seges accessit arti medicæ ex tali experiundi genere; utpote confundente plura genera sub unicà specie; vel etiam plures species longè dissitas sub unico genere. Quamobrem de hac etiam, sicuti de præcedenti oppositâ, paulò fusiùs disserere oportet. Siccine I. cum promiscuum vulgus promiscuè expetit sanguinis missionem in quovis subitaneo animi terrore; i. e., æque cum omnimoda corporis quiete, uti ex nuntio funesto, fulmine cominùs coruscante, &c. ac cum perculsione corporis ex præcipiti cursu, casu, ruinis, &c. perperam confunduntur duo diversa. In primo siquidem casu fluïdorum stupor motu corporis, vino, vel aceto, aquâ gelidâ, vel aliis acutis excitandus est: in altero vice versâ sanguis nimiùm permotus prompta venæ sectione, quiete, & fotu corporis temperandus.

40. II. Eodem jure Æquivoca sunt omnia Experimenta, quæ capiuntur extra sedem, œconomiæ animali per semet actuosæ, propriam. Puta cum arguitur, Salem quempiam emendare putredinem in animalibus viventibus, quia corrigit eandem in mortuis: mercurium v. gr. enecare posse Lumbricum degentem intra corpus humanum, si enecaret eundem, extra idem positum. Idem puta de nonnullis vitijs repertis in cadaveribus extinctorum, uti polyposis corde tenùs concretionibus, fluidorum extra vasa erroribus, singularibus viscerum fœditatibus, & similibus; quæ non facilè creditu est, fuisse causam, sed potius effectum modò perpessi morbi, modò verò mortis.

41.

41. III. Mediam tenent rationem Experimenta capta in statu hominis diverso, sive in sanitate integrà, pro indagandis viribus remediorum in statu morboso. Scil. hujusmodi tentamina sunt mixta, seu partim univoca, partim vero æquivoca: illa respiciunt effectum proximum, ista vero remotum, seu successivum. Ita experimur, venæ sectionem in homine sano non tollere quidem morbum v. gr. Pleuritidem, utpote non existentem; minuere tamen calorem, ac motum circulatorium fluidorum eodem ferè modo, ac faceret, si adesset Pleuritis. Sic Opium in homine integro non sedat dolorem, qui nondùm existit, inducit verò stupiditatem, aut soporem, eodem modo, ac si existeret. Idem & ampliùs dic de effectibus medicaminum Purgantium, salvo tantùm magis, & minus. Idem de urinam cientibus. Idem de mercurio erga Phthialismum, &c. in utroq. hominis statu. Imò cortex ipse Peruvianus in homine sano non excitat quidem motum certum febri Tertianæ adversum; imprimit autem palato, œsophago, &c. sensum quendam præsagum magnarum, licet incertarum, virium.

42. Unde, servatis servandis, legitimè satis experiuntur viri docti, cæteroquin sani, promissas quorumvis medicamentorum vires. In genere quippe magni remedij vis, magnam pariter vim ut inferat necesse est corpori etiam sano, eodem utenti in copia consueta debellare morbum. Nec juvat opponere, medicamenta agere in corpore juxta dispositionem Patientis; quæ dispositio abest in sanis: Hoc enim verum est tantummodò quoad magis, & minùs; minimè verò quoad totam actionem.

43.

43. Æquivocæ proxima est Exper. Vaga, i. e. „ De causa indeterminabili, quamvis certà „ Cujus luculentum exemplum habetur apud Corn. Celsum (1.); ubi agens de Distillatione, & Gravedine, tot, tantaq. assignat pro ijsdem curandis remedia, inter se pugnantia, ut æquè mirere auctoris ingenium, ac primæ illius ætatis Experientiæ Medicæ balbutiem. Partà quippe tali methodo valetudine horum morborum, incertum adhùc manebat, a quonam ex tot remediis, seu simul, seu tumultuariè applicatis, eadem proveniret.

44. Æquè pravum Medicinæ Vagæ exemplum tradiderunt posteris Galenus, alijque veterum in compositione medicamentorum; puta Theriacæ (*), Mithridatii, cujus-

vis

(1) Op. omn. Lib. „ &§. IV. cap. 2. per hæc verba „ Post ambulationem caput, atq. os supra quinquagiès perfricandum ... Si in Distillatione crassà facta Pituita est; vel in Gravedine nares magis pallent, Balneo utendum est; multàq. aquà, priùs calidà, post egelidà fovendum os, caputque. Deinde cum cibo pleniore vinum bibendum. At si æquè tenuis die quarto Pituita est, vel nares æquè clausæ videntur, assumendum est vinum aminæum austerum: Deindè rursùs aqua biduo: Post quæ ad Balneum, & ad consuetudinem revertendum „

(*) Pharmacum istud, prout hodie vulgò usurpatur, sexaginta circiter simplicibus medicamentis, & præterea tribus alijs compositis, Trochiscis videlicet de Vipera, Hedichroi, atq. Scilliticis, Galeno nuncupatis, consarcinatum, non mirùm, si tantam occupationem præbeat ejusdem operarijs, æquè ac Mercatoribus: quin potiùs mirandum, tanta vi medicà præditum esse posse, qualem revera fatemur, adeo ruditèr farciminatum inventum: Quam tamen totam uni Opio, & paucissimis alijs deberi æquè certum est, ac incertum, quonam pacto adeptum sit, ut nullum ex tot Simplicib., sibi invicem oppositis, hùc ingredientibus, innatum opij virus effringat.

vis generis Apozematum, Unguentorum, Ceratorum, &c. ubi varias argillas, resinas, aromata, plantas, rudes lapides, animalcula, gemmas, ex variis Provincijs collatas, nullius experimento, sed uniuscujusq. cerebro probatas, conflarunt in acervos, speciosis Confectionis, Electuarij, Elixir Anthysterici, Antepileptici, & similibus nominibus in posterum insignitos; singulos singulis ferè morbis dicatos. Quod tanquam ad luxuriam compositum ingenium acriter exprobrat C.Plinius (1.) in ævi sui medicos. Quid non exprobret recentior ætas, quæ abstergendis omnium artium, & maximè medicæ, fucis tota fermè dicata est?

Nostrum non est, fateor, tantam quatere molem. Requiruntur fortissimi Principes, pub. salutis curatores, ad profligandum ab arte salutari adeò vafrum sive ignoratæ, sivæ proditæ ejusdem artis asylum, pro ingenti civium emolumento: Quod omnes boni præstolantur enixè.

45. Istud itaq. medicinæ genus, rudis conjectura potiùs vocandum, omnium captiosissimum est; indeq. plurium in arte medicà scaturigo errorum. Uti illa Medicorum Indorum, de quibus inquit Garzias ab Horto (2), quod Choleram morbum curare solent „ Oculis Piper, pedibus Cauteria, brachijs, & cruribus stricta Vincula adhibendo „ Ex qua methodo, seu servetur, seu moriatur æger, non erit facile assignare causam sive salutis, sive mortis inde sequentis.

46.

(1) Histor. natural. Lib.XXIX. cap.1.
(2) Histor. aromat. Indiæ Orient. pag. m. 217.

46. Inter Spurias maxima est Experientia Traditionalis „ Quam videlicet ab alijs traditam accepimus potius, quam ipsimet experti, de rei veritate testari possimus „ Talis est aphorismus, seu mavis opinio „ Quod omnia frigida sunt pectori inimica „ ab Hippocr. (1) tradita, & a posterioribus Clinicis, uti quidem ipsis videbatur, experta: De quo alibi fusius. Talis etiam est virus prætensum plurium insectorum, plantarum, &c. pro veneficis apud veteres gratis infamatarum. Vel contra virtus occulta, vulgò Sympatica, omnium amuletorum adversùs mala nescio quæ, a nonnullis olim Clinicis, vel etiam Agyrtis, rudi populo concredita. Siccine gratis tradita sunt nobis a veteribus epitheta Cephalicorum, Pectoralium, Hæpaticorum, &c. de pluribus medicaminibus, quæ neutiquam discretè, sed promiscuè exerunt vires suas genericas. Et plura alia. Hanc itaque non Experientiam, sed Traditionem medicam vocandam esse, per se patet.

47. Quarta Spuriarium species est Experientia, seu mavis, medicina Speciosa, i. e. „ Quæ Legitimæ speciem præsefert;quidquid autem reliquum est,eventui committitur; qui cum sæpe feliciter contingat, pro canone Experimentali traducitur „ Quæ profecto est omnium pessima. Exemplis omnis generis scatet historia medica: Quorum famosiora decerpere juvat.

Sic I. a medicinà Speciosà invaluit immersio Hydrophoborum in aquam maris, vel etiam fluminis adversùm Rabiem, jam ab ævo Cornelij Celsi Lib. IV. cap. 27. laudata.

II.

(1) Aphor. 24. Sect. V.

II. Vires Castorei, Viperarum, &c. a Galeno (1) traditæ: Ubi notandum sanè, quod idem Galenus tam loco cit., quam aliàs magnalia prædicaverit non solum de Castoreo, & Viperis; verum etiam de alijs animalculis; eoque magis, quo magis hominibus antipathicis (*). Quod non nirum in ævo res magnas excogitante potius, quàm discutiente. Mirandum vero valde, quod posteriores Clinici æquo adeo animo, in re tantoperè seriâ, obsecuti sint Galeno, ne unum intereà Experimentum, ritè institutum, præter famosam de Cleopatra ex Andromacho narratiunculam, in medium producenti, pro verificandis viribus energicis talium remediorum. Idem puta de Bezoar, de quo sup. num.7.

III. Medicina Infusoria, uti vocant, atque Transfusoria; cujus historiam videsis apud Laur. Heisterum Chirurg. Parte II. cap. 14.

48. Huc incidit excogitatio celebris „ De Variolis arte excitandis, sive inserendis „ pro vitandis majoribus damnis, quæ metuuntur ab eisdem spontè venientibus. Fer-

(1) Tom. XIII. ad Pisonem de Theriaca Lib.I. cap.9.

(*) Quibus ne addendum inventum recens De Lacertis devoratis protinùs extinctis adversùm Ulcera Kakoethes, &c. ? Quo se curari dicuntur Populi Amatitanni in Americâ Septentrionali: ac vulgatum fuit Mexici an. Dñi 1782. a Do. Josepho Flores, celebri ibid. Clinico. Quod idem sæpiùs tentatum est vario omine in variis per Europam Urbibus, Hispali puta, Taurini, Romæ, &c. Quidquid sit de eventu hujusce remedij, varium Lacertarum in Medicina usum multis commendatum legimus apud veteres, maximeq. Plinium; uti videre est penes Aldrovandum De Quadrupedibus Digitatis Oviparis Lib. I.

Fervent in plateis ejusdem Patroni ; contra quos vix hiscere ausi sunt hactenùs pauci contradictores . Hodie vero non sic : Undique collatis signis , classicum canunt adversùs speciosum inventum doctissimi Viri Itali , Galli , Hispani , &c.

Ut alios omittam , Do. Franc. Gil , Chirurgus Hispanus , nupèr edidit Matriti (Venetiis vero an. 1789.) Dissertationem Physico-Medicam ,, *De Methodo præservandi populos a Variolis* : Ubi ingenti doctrinà historicà , politicà , ac medicà , ostendit 1. Originem , progressum , atque nefandas strages , editas a Variolis naturalibus , in varijs per orbem locis , atq. temporibus . 2. Insitionis inventum , a Sinarum gente in Europam translatum . 3. Recenset catalogum , ex insitis Variolis in variis Europæ locis mortuorum . 4. Adscitis in suam sententiam DD. Paulet , & Camus , inclytis paritèr , ac recentibus auctoribus Gallis , demonstrat , Variolas insitas esse æquè contagiosas , ac non insitas ; indeque propagari , non caveri luem . 5. Invictis exemplis tam ipsarum Variolarum ad varias Insulas, utputa Baleares,absentium, quàm veterum Elephantiasis (*) in tota Europa eàdem ratione pridem extinctæ , ostendit , unicam restare viam exterminandi tantam luem a finibus nostris , quæ habetur ; Vitando nedùm Insitionem , verùm etiam consortium , atq. viciniam naturà Variolosorum . 6. Postulat in hunc finem opem Principum , pro condendis Nosocomijs

(*) Cui olim curandæ per solam Europam designata extitisse novemdecim millia Nosocomia , ex cel. Matthæo Paris recenset auctor .

mijs casu Variolosorum in locis idoneis, a promiscuo populo remotis. 7. tandem: Pro eorum regimine prudentes tradit leges. Ubi videsis.

Quæ, me judice, satis ostendunt, cuncta, hucusque vulgata, utrimq. momenta, sive Physica, sive Theologica, de incommodis insitionis; vel contra de fortunatissimis ejusdem exemplis, parum valere, si conferantur cum eventu, post ævum valde probabili, præjactæ methodùs de cavendo contagio; exindeq. morbo Variolarum.

Itaque omnib. de hac re æquà lance perpensis, Variolarum insitio e Republicà non videtur esse; inducit enim contagium; indeq. auget in populo malum: Est verò e re privata, seu pro Familiis Principum; quia licet non tollat prorsùs, minuit forsitàn vitæ periculum.

49. IV. Pari Speciosæ Experientiæ vitio laborant vires Electricismi adversùs morbos truculentos, uti Epilepsiam, Paralysim, &c. a Do. Pomme (1), alijsque passim celebratæ.

V. Vincula ad artus ita constricta, quæ nedùm translationem, quæ prætenditur, sed etiam circulationem fluidorum intercipiant.

VI. Hùc etiam pertinent jactata pridèm Chymicorum fercula, uti Sal, Spiritus, & Oleum cranii, sanguinis, & urinæ hominis; quorum obscœnitatem hoc nostro nitidissimo ævo nemo non horret: A quibus parùm absunt aliæ ejusdem saporis dapes, uti Viperarum, Serici, Fuliginis, &c.

VII.

(1) Traité des affections Vaporeuses Paris 1782.

VII. deniq. ut plura taceam, ex eadem Experientia Speciosà ortum videtur, præferre locum, & artem mittendi sanguinem in morbo, detractione sanguinis curando: v. gr. ex fronte, temporibus, ad vasa hæmorrhoidalia ope hyrudinum, &c., & non ubivis, pro obtinendo effectu salubriori (*).

50. Spuria pariter effecta est post longum ævum Medicina vulgò Præservativa: Illa nimirùm, quæ ,, In secunda valetudine adversæ præsidia consumit,, contra vetitum Corn. Celsi Lib. I. cap. 1. Quod intellige de Medicina operosà, qualis est consuetudo mittendi sanguinem, purgandiq. statis temporibus corpora, perindè ac reliquo anni tempore valentia, sub obtentu cavendi futura mala (**). Naturæ siquidem hominis pro modulo suo valentis nulla datur Medicina strictè Præservativa, præter regimen vitæ. Ipsemet usus corticis Peruv. pro cavenda febri Tertianà, fallit intentum; quanto magis alia minùs firma.

51. Ultima tandem, omissis levioribus, Experientiæ Spu-

(*) Novi pluries in morbo, caput obsidente, detractum sanguinem ex fronte, temporibus, &c. at nunquam cum bono, seu saltem meliori eventu, quam si ex brachio v. gr. detraheretur.

(**) In Comitjis an. Domini 817. Aquisgrani habitis coram Ludov. Pio Imper., inter alias leges, a magna Antistitum frequentia circa disciplinam Monasticam editas, adest undecima ad Monachos ditionis Imperialis, præsertim vero Monasterij Anianensis, tunc temporis celeberrimi, quæ ait ,, Non mittent sanguinem ex præfixo anni tempore, sed tantummodo ex necessitate ,, Nihilominus (pergit Historiographus) hæ sanguinis missiones, celebratæ ad stata anni tempora, transierunt postea in usum; & quidem ex regulæ præscripto, in Cœnobiis recentioribus. Ita Do. Fleury Histoir. Eccles. To. XVI. Livr. 46.

Spuriæ species habetur, in Medicina Symbolicà. Quæ nempe ex figuris, notisve externis, quibus insigniuntur quædam seu vegetabilia, seu mineralia, seu animantia, auspicatur vires emendantes vitia corporis hum. ejusdem sive configurationis, sive nomenclaturæ: uti herbarum Pulmonariæ, Hæpaticæ, Scabiosæ, Scrophulariæ, Orchidis, vulgò Testiculus canis, &c. adversùm vitia horum viscerum, seu organorum: Fellis Tauri adversùs Auriginem, sive Icterum, &c.

Hæc, inquam, omnia ideo sunt nequissima Experimenta; quia non *semel*, aut *bis*, sed *sæpè* Auctorum promissis appositissimè respondentia.

Quibus præmissis

§. III. *De Methodo rectè experiundi.*

Superest, hic innuere pressiorem methodum, quà & faciliùs possimus assequi rectam in arte Salutari experiundi viam, & vitare pravam, additis exemplis.

52. *Prima ratio.* Ut observatio Medica ritè procedat, oportet ante omnia, quod, quicumq. periculum facere vult de virib. legitimis aut naturæ hominis, aut morbi, aut remediorum, plenè instructus sit omni eo cultu, qui necessarius est ad probè internoscendos, & quoties opus, dirigendos motus, a singulis eorum promanantes. Hic verò cultus duobus præcipuè constat. Primo: Elementorum Physiologiæ, Pathologiæ, materiei Medicæ, tam simplicis, quam Galenico-Chymicæ, ac tandem historiæ morborum exquisità notitià. Secundo: In usu practico hujusce notitiæ, sive ad cervical ægroti, acri

men-

mentis attentione, ac fortissimo animi robore. Verbo: Eximia Prudentia. Cujus proinde obstaculum est ignoratio, ac defectus cujuslibet horum: ut patebit ex seqq.

53. *Altera ratio*: Quinimò regula princeps pro criterio Experientiæ Medicæ est uti sequitur. Quoties concurrunt in morbis plura ad speciem pugnantia, tutissima via internoscendi legitimam eorum causam habetur „ Purgando unumquodque illorum ab omnib. causis communib., indeq. applicando singulis seorsùm causam singularem controversam, sine admixtione, quoad fieri potest, neu concursu alterius „ eodem prorsùs modo, quem innuimus sup. num. 35. seq. ubi de Criterio Experientiæ Univocæ.

54. Hac viâ innotuit quidquid boni habetur in arte Medicâ. Contra: hujus regulæ vitio laborant reliqua in eadem arte nondùm purgata. Exemplo sint pleræque methodus generales medendi morbis nedùm veterum, sed & RR.; uti de Haen, Lieutaud, Sauvages, W. Svvietten, Tissot, &c.: Qui scil. optimè describunt, sed pessimè curant plerosque morbos; dum pro singulis eorum promiscuè commendant cuncta fermè totius artis præsidia; puta Phlebotomiam, Catharticum, Emeticum, Apozemata varia, ex plantis, animalib., atque fossilibus parata, tam simplicia, quam composita, modò interna, modò externa. Sive enim doctis tantummodò apponant adeo lautam, quasi dicam, remediorum mensam, ut hi ex tanto apparatu delectum habeant; sive indoctis, aut tyronibus, ut copiosum promptuarium præ manibus habeant, inutilem certè ambobus operam

præ-

præstant: illis quidem, quia in arte medicà quisquis novit auxiliorum delectum, multo magis novit eorum censum: istis vero; quia nescienti deligere, accedet potius ex ubertate damnum.

55. *Tertia ratio*; sive Requisitum est „ Quod Medici Experientis ingenium sit affabrè integrum „ Cujus multa sunt opposita vitia. Tale est Primo: Ingenium Sterile; sive paucis tantùm observationibus contentum: cujusmodi est plerorumque auctorum Observationum Medicarum: Et fuit Hippocratis cum aliàs, tùm maximè, in condendo Dogmate dierum criticorum. Et fuit Boerhave in tradendo aphorismo 1403., ubi agens de Papulis Variolosorum, protulit, easdem, sicuti extimam cutim, itamet inficere interna viscera, uti Œsophagum, Ventriculum, Hæpar, &c. cujus contrarium, observationib. valdè pluribus institutis in interaneis Variolis extinctorum, evincit cl. Cotugno in Opusc. De Sede Variolarum, & Ischiade nervosà. Quod si aliquando præter communem ordinem præd. Pustulæ in ejusmodi cadaveribus inventæ sunt, perperam inde Theorema generale statutum fuit, pro pabulo verbosi vulgùs.

56. Tale est Secundo: Ingenium Servile, seu nimis obsequiosum, adoptandi vel dogmata, vel inventa aliorum in propriam medendi methodum. Utputa usum internum Camphoræ in morbis pessimis, in fidem cl. Hoffmanni ejusdem encomiastæ (1); de quo sup. n.7. Radicis Valerianæ Silvestris adversùs Epilepsiam, in gratiam Do. Tissot ejusdem Promotoris: vel etiam Cicutæ contra

(1) Opusc. Selecta varii argum. Dissert. IX.

morbos Kakoethes, sive internos, sive externos, in obsequium Do. Storck ejusdem inventoris (*). Et sic de aliis.

Tale est tertio: Ingenium insigniter divinatorium: quale narratur Sinarum, ex solo pulsuum attactu haustum, præsagiendi quasi in ænigmate, seu præsentem, seu futuram ægrotantis fortunam.

57. Quarta: Ex duabus causis utrinq. suspectis, alterà occultà; alterà vero manifestà; non licet illicò effectum tribuere manifestæ, donec certiores facti simus, abesse occultam. Defectu hujus cautionis promiscuum vulgus, duce Fracastoro (1), Phthysim Pulmonalem tribuit contagio: morbum mali moris, Vermib. erumpentibus: Et alia plurima, quib. scatet popularis medicina.

Contra: Prævalet quandoq. regula inversa, i. e. Non licet in arte medicà tribuere effectum causæ occultæ, quoties repugnat manifesta. Quo vitio laborat in genere Medicina Orientalis, ex ignis actualis applicatione celebris (2). Quoties nimirum infligitur ferrum ignitum in morbo quopiam soporoso, puta Epileptico puerorum, statim vel horrendè convellitur æger; vel contra dissolvitur veluti exanimis. Siquando ergo convalescit idem, gratis tribuetur ignis potentiæ. Ego certè nullum novi æquum exemplum hujus medelæ: plura contra novi iniqua.

58.

(*) De his duabus plantis vid. Experimenta nostra ad calcem Partis II.

(1) De morbis contagiosis Lib. II. cap. 9.

(2) De qua vid. Heister. Chirurg. Part. II. cap. 21.

58. Medium tenet locum nobilissima Medicina Gymnastica (dirigens varia corporis, & animi erga motum, ludum, &c. exercitia.) Scilicèt hæc Medicina in morbis acutis manifesta parit incommoda; puta crebros languores, articulorum debilitates, tumores, doloresque, ac profusos sudores. Contra: Hæc eadem incommoda, in morbis chronicis, puta chlorosi, œdemate a fibrà laxà, in febre Tertianà, vel Quartanà, terq. quaterq. recidivis, &c. familiaria, ope Gymnasticæ solvuntur egregiè, licèt occultè, ac pedetentim.

59. Quinta. Omnis medendi methodus, quæ optatum non præstat effectum, nisi post diuturnum tempus, & usum, eo ipso redditur Spuria, i. e. Post insigne temporis intervallum, absque ulla virium quæsitarum demonstratione transactum, vix definiri potest, an effectus indè secutus, ortus sit potius a tali methodo, quàm ab alijs causis, vel etiam a solà naturà medicà semper vigili. Exempla sunt obvia in Decoctis vulgò Viperatis: item in Cicutà Storckianà, de quo alibi: & innumeris alijs (*).

(*) Hùc incidit famosum commentum „ De Venenis circumscriptis, seu de Pharmacis tacitè nocentib ad arbitrium Propinatoris „ Scil. fertur, ad varias Europæ (ubi celeberr. est illud Italis dictum Acquetta di Perugia), Asiæ, atq. Indiarum plagas, existere non paucos, qui possident arcanum miscendi inimicis Poculum, cujus virus lethiferum adeo exacte libretur, ut clanculùm sæviat, inauspicato explodat, vitamq. adimat, destinato a venefico tempore. Simili modo, quo Rabies canina, Variolar. virus, Phthysisq. Hæreditaria latent in corpore inoperosa usq. ad destinatum a natura infectionis spatium. Quales tamen narrationes meram esse fabulam suspicamur. Quin ob-

60. Æquè perperàm traducitur usus remedij per tritum illud „ Innocens est : igitur applicandum „ Ubi concludendum potius videtur „ Remedium A est simpliciter innocuum : ergò respuendum tanquam noxium „ Ratio est. Quia inter sexcenta auxilia, pro innoxijs vulgò habita, si modò quatuor, aut quinq. adhibeas, duplicem objicies sanitati remoram, non facilè redimendam. Primam : Naturæ Medicæ, a semet solà sempèr actuosæ. Alteram : Auxilio cuipiam, reverà efficaci, in functione virium suarum, a catervà inefficacium præpedito. Ut si quis vellet, in Dysurià, ab esu ranarum oleo frictarum passim obvià, ac solà decoctione Malvæ facilè superandà, simùl addere decoquendas decem alias plantas innocuas, uti gramen, urticam, carduum benedictum, &c.

61. Ubi pariter incidit censura „ De remedijs extrinsecùs applicatis pro medendo morbis origine internis „ Scil. invaluit in quotidianà praxi, vexare indesinentèr ægros varijs malagmatib.; puta Fomentis, Emplastris, & similibus, in quibusvis ærumnis, etiam a causa internà

obstent exempla Rabiei, &c. Quæ ideo vera esse credimus; tum quia ab Auctorib., exemplisq. fide dignis firmata, cum quia sub inaccessis naturæ legib. constituta. Illa vero falsa; tum quia fluxili artis imperio subnixa; cum quia a nullo Auctore, exemplove, doli experte, probata. Ratio esse videtur; quia non est homini datum, continere Pharmacum, ne excitet turbas sibi condignas, postquàm absortum est ab intestinis, vel etiam a venis : cujus proinde virus vel subigitur sive illicò, sive paulatim a prævalente naturà; vel si secùs, languebit homo infectus usq. ad mensuram, oppidò vagiam, suæ temperiei; neutiquàm vero ad nutum Propinatoris.

nà progenitis, nulloq. malo ad extrà apparente torquentib., uti Colicis, Pleuriticis, Rheumaticis. Allegando vulgarem Laxantium conspirationem a sedib. externis ad internas. Ego vero sedulò expendens hanc medelam, vix unquam vidi profectum eidem tribuendum, sed aliæ efficaciori internæ, simul applicitæ; vel etiam soli rerum vicissitudini. Contra vidi constanter profectum conspicuum post auxilia aliùs indolis; qualia sunt vel actu calida, uti pannus igni calefactus; vel actu frigida, uti pannus nive respersus; vel actu dolorem cientia, uti moxa, fustigatio, cucurbitulæ, vessicantia. Malagmata verò unicè expertus sum efficacia in morbis Cutaneo-Cellularib.; puta Contusionib., Phlegmonib., &c.

62. Media tenet ratio de auxilio Ancipiti, attamen energico: tentandum nec ne sit in morbo gravi, vel etiam extremo. Si enim auxilium est anceps de suamet naturà, utputa Mercurius Sublimatus, Antimonium crudum, &c. pro usu interno: pro externo verò Electricismus vehemens, Trachæotomia, & similia; respuenda videntur. Si verò tale evasit ex mera indole morbi, aut statu ægroti; utputa usus hic, & nunc faciendus Phlebotomiæ, Ipecacuannæ, Opij; artùs cujuspiam Amputatio, &c. soli prudentiæ Clinici stat definire, quid sit agendum. Ratio priorum exemplorum est; quia felices, qui allegantur successus, pluries numero contingunt, abstinendo, quàm audendo similia: Posteriorum, per se patet. Quo sensu interpretandus mihi videtur Cor. Celsus, cum ait Lib. II. cap. X. „ Melius est anceps experiri auxilium, quàm nullum „.

63.

63. Sexta. Agendo de experiundis in casu singulari viribus tam morbi, quam naturæ medicæ, ac remediorum, recursus ad altissimas, ut ajunt, causas, videtur cavillosus. Talis est Primo: Recursus ad causas Magicas: de quo præ alijs de Haen Lib. de Magia, Parte & cap. III. Secundo: Recursus ad Astra (*). Tertio: Recursus ad arcana, puta Spagirica, parandi technis reconditis medicamina, cæterùm nota: quippe quæ his titulis non videntur commendanda; verùm ex alijs; puta quod sint in potiori climate nata, ætate matura, solerter parata,' &c. uti videre est in cortice Peruv., Opio, Mercurio, &c. Quinimò in pane, & vino, & reliquis vitæ humanæ præsidijs.

Deniq. hùc pertinent Portenta omnis generis: ex quib. nullam possumus haurire normam agendorum in posterùm (**).

64. Non ita cavillosa, sed prudens habetur suspicio De aliquali varietate Experimentorum pro diversitate Climatum; juxta proloquium Cor. Celsi Op. omn. Præfat. „ Differre pro naturà locorum genera Medicinæ; & aliud opus esse Romæ; aliud in Ægypto; aliud in Gal-

(*) Carolus Frider. Weinhart, rec. Professor Ænipontinus in opere, cui tit. Medicus Officiosus „ multus est in commendando Clinicis, inter alia ornamenta, uti Poesim, &c. etiam Astronomiam: nequid temerè agatur in curandis morbis, non consultis Astris. Idem ante monuerat Cel. Mead, ubi de influxu Solis, & Lunæ. Proh meum caput! hæc omnia palantur longè ab ingenuâ Experientia Medica, hic a nobis tantoperè quæsitâ.

(**) Varij prostant ordinis apud mirabilium Medicinæ Commentatores; uti Marcellum Donatum, Gasparum a Reyes, Joan. Schenck, &c. quos videsis.

Gallià „ De aliquali, inquam, varietate, secùs de totali, seu constitutivà Experimenti: Qualis fuit illa, quam invexit Asclepiades apud Cæl. Aurelianum, teste Baglivio (1) „ Romæ, & Athenis Pleuriticos lædi a venis; in Paro vero, atq. Hellesponto juvari „ Ubiq. etenim de essentia Pleuritidis est, plùs minùsve juvari a venis; i. e., a Venæ sectione: Sicuti est de naturà Tertianæ febris juvari ubiq. regionum cortice Peruv.: & sic de alijs. Imò de totali varietate in rebus singularib. Siccine ictus Scorpionis in quibusdam regionib. cuivis animanti est valdè infensus; secùs vero in alijs.

§. IV. *De loco Anatomès, Chymiæ, atq. Mechanicès in Arte Medicà.*

65. Humanæ fabricæ exqui sitam notitiam ipsissimam esse doctrinam Physiologicam, & consequentèr Experientiæ medicæ quasi januam, innuimus sup. num. 52. Ex quo pariter commendata manet Experientia anatomico-medica, ex observatione cadaverum morbo sublatorum hausta, atque tum ex proprio intuitu, cum ex historia medicà petenda. De his ergò nihil quæritur ulteriùs.

Ita rursùs, humanæ sanitatis œconomiam perpetuum esse naturæ opus, captui nostro vix pervium, Mechanico-hydraulico-chymico-electricum, res est extrà controversiam. Utrùm verò harum scientiarum leges, hactenùs cognitæ, morbisque omnib., etiam acutis, adamussim

(1) Prax. med. Lib. 1. cap. De Pleurit. ad Append.

sim applicatæ, mutare queant necnè statum hominis ægroti in sanitatem, merito dubitatur. Nihilominùs celeberrimi Clinici, pariterq. Chymici, ac Mathematici, uti Boerhavius, Freindius, Pytcarnius, &c. ingenti doctrina suadere conantur „ Pro morbis optime noscendis, atq. curandis oportere sedulò pensare vires Mechanicas, &c. tam corporis humani, quàm morbi, ac auxiliorum. Adeo ut unus ex laudatis A. testetur palàm „ Principia progressum, medelamque morborum adinveniri posse simplici, quasi dicam, caducæo legum mechanicarum „

66. Nos autem provinciam Medicam metimur, non promissis auctorum, sed Factis. De Facto verò ingenuè fatetur idem A., se delusum esse in ferendo judicio (indeque remedio) de morbo, a se curato in quodam nobili viro: tractando scil. pro mero calculo sive in renibus, sive in vessica morbum, qui in cadavere defuncti repertus est, fuisse, non calculum, sed agglutinationem intestini Colon cum vessicà, formantem ibidèm glomerem pure scatentem, causantemq. præter alia symptomata, acerbos cruciatus in totà mali vicinià. Intereà nec nominantur leges seu Mechanicæ, seu Chymicæ in totà mali historià.

67. Verùm id levius: gravius est quod sequitur ex ipsomet A. (idem puta de reliquis.) Scil. Juvenis robustissimus Variolis confluentibus decumbebat. Diluentia varij generis, Chlysteres communes, Oxymèl Scilliticum ad usum Emeticum, Vessicantia, & Diaphoretica varia, non omisso abusque morbi initijs Dioscordio, fuerunt tentata: Verùm adeo incassum, ut 16. a decubi-

tu

tu die in summum vitæ discrimen induceretur : Unde habitum estMedicorum consultum :Ubi propugnatum est pro remedijs Cephalicis (cur non pro mechanicis, chymicisve?), quæ delirio, tremoribusq. nervorum tollendis habentur idonea .... Objectum est, hanc medendi rationem morbi ramos ad summum, radicem verò minimè evellere posse .... Nihilominùs Spiritum cranij humani, Salemque armoniacum volatilem præscripsimus ... Manè sequenti cum febre, & convulsionibus graviùs luctabatur, evasitque planè veternosus (quis nesciat ex ausis adeò iniquis!) ... Itaque ventum est ad Catharticum lene; ex quo levamen aliquod affulsit; quare denuò repetitum fuit.... Æger autem paucis post diebus moritur. Agebatur Scena Londini mense Februario 1709.

68. Concludendum itaq. Primo: Mechanicès doctrinam optimam præstare normam in praxi medicà pro administrandà præ alijs Medicinà Gymnasticà; cujus utilissimus usus extenditur etiam ad morbos acutissimos, pro deligendo præcisè idoneo ægrorum situ,decubitu, indumentis, &c. Secundo: Chymiæ Elementis uti nos posse pro interpretandis motibus, ac solutionibus morborum, præsertim febrilium: Et parùm amplius. Verbo: His exceptis, & præterea Spiritibus acribus, Salibus corrosivis, Tincturisque nonnullis, simplici Distillatione, aut etiam Digestione paratis, immensa fermè reliqua Chymicorum occupatio arti medicæ omninò superflua esse videtur. His, inquam, exceptis, optima quæq. medicamenta vel nativa sunt, vel a solertià tantùm Pharmaceu-

ticà petenda. Probè novimus plura fortunata exempla, in historià medicà hinc indè sparsa, desperatissimorum morborum, debellatorum ope quorumdam vulgò Magisteriorum, singulari encheiresi chymicà paratorum: Verùm hæc eadem in simillimis casibus tentata cessère pluriès modò frustrà, modò adversa: Unde reputantur Spuria.

§. V. *De momento Auctoritatis, &c. in praxi medicà.*

69. Ex momentis hactenùs productis descendit I.: Neque Auctoritati, neque auctorum promissis fidere nos tutò posse in medicinæ administratione: posse vero in tractandà Theoricà, sive interpretatione phænomenωv tam morborum, quàm auxiliorum eisdem applicatorum. V. gr. Utrùm vitia fluidorum, an potius solidorum sint primigenia elementa morborum in genere: aut etiam circa instrumenta morbosa, modumq. nocendi singulorum, uti Variolarum, Chlorosis, &c. Vel contra, circa salubria, rationemque juvandi corticis Peruv., Opij, Mercurij, Phlebotomiæ, &c. In quo scientiæ genere, quo plures, & graviores Auctores in eamdem conspirant sententiam, hæc evadit eo gravior.

Aliter se res habet in praxi medicà, in qua videlicèt „ Auctorum, vel maximè gravium, decreta haud facilè recipienda sunt, quæ non multiplex usus firmaverit „ inquit Do. Freindius (1). Ratio discriminis est; quia Theo-

(1) Op. omn. To. II. De Variolis pag. m. 193.

Theoricæ momenta, utpote ab oculis abstracta, ingenio potiùs, quàm sensibus metiri valemus : Practicæ contra, utpote ob oculos posita, sensibus potius, quàm ingenio. In quo negotio unusquisq. attentus potest esse judex idoneus.

70. Quod si quis interroget, an ullius Auctoris, speciali saltèm in medicinà principatu gaudentis, utputa Hippocratis, Sydenhami, Boerhavij, &c. praxi standum sit inter medendum morbis? Resp. Nullius omninò; juxtà proloquium cl. Rec. ad tyrones Medicos ubi suprà num. 4. Quia omnes in hoc negotio passim hallucinati sunt; saltèm in tradendo superflua; qui maximus est errorum in medicinà, ex Axiomate V. num. 26. Si iterùm quæras, Cui ergo fidendum? Resp. Nulli potius, quàm proprijs oculis; uti pariter sup. num. 4. Si tandèm quæritur; a quonam edocendi simus rationem fidendi proprijs oculis minori discrimine hallucinationis? Resp. Utique ab ipsis in arte Principibus : nemo quippe sinceriùs, neque dexteriùs, quàm ipsi, aperit nobis fallacias in Experiundo & proprias, & alienas. Hanc autem doctrinam tradunt ipsi incidentèr tantùm, & confusè; nos verò fusè, ac methodicè.

71. Quæ dicta intellige de Auctoritate absoluta; cui præferenda est, quoties adest, Experientia propria Legitima. Agendo verò de Auctoritate relata plurium AA., pugnantium inter se circa providentiam agendorum in praxi medicà, quotiès deest Legitima Experientia propria, quod sæpè evenit, eorum recentior alijs præferendus est, etiam unicus. Ratio est: Quia priora, utpotè a suis au-

auctoribus jam satis illustrata, in praxi medendi cuivis singulari morbo, seriò refutanti, illustrior quæpiam ratio præfulgeat necesse est. Quin obstet pluralis numerus adversantium: Id enim sæpe conspiratio translatitia ejusdem opinionis dicenda potius est, quàm Co-Experientia Legitima: uti fert mos inter homines. Quorum exemplorum referta est historia medica.

72. Descendit II.: Quod ratio nuda in praxi medicà prævalere potest quandoque adversùs Auctoritatem qualemcumque; ac ductu ejusdem tentari via, præd. auctoritati, eidemq. innixæ consuetudini simùl adversa. Luculento exemplo impigerrimi Sydenhami, obnitentis contra auctoritatem, simulque consuetudinem antiquissimam calidi regiminis in plerisque ferocioribus morbis, & signatè Variolis (1): quin & luculentiori Rec. Clinici Romani, qui nostro ævo tentavit, probavit, indeq. tractatum edidit „ De viribus energicis Aquæ Frigidæ, Nivisque pro coercendà Hæmophthysi (2) „ Adversante licèt famoso Hippocratis aphor. 24. Sect. V.; omniumque ferè per omnes succedentes ætates Clinicorum consensu.

73. Descendit III.: Iniquam esse censuram Novitatis in arte medicà. Quasi verò ageretur de Religione; ubi utiq. Dogmata, quo recentiora, eo sunt pejora. Longè aliter evenit in arte medicà; quæ neutiquàm æternà quapiam lege, sed Experientià unicè firmatur: Experien-

(1) Op. omn. Sect III. cap. 2. & aliàs passim.

(2) Ignat. Gervasi „ De usu Aquæ Frig. in Hæmophthysio. Romæ 1756.

rientia verò exemplis : Exempla autem in dies augentur numero ; eoque magis probantur.

Resipiscentia paritèr præhabitorum errorum, primarius gradus progressùs in arte medendi, patrimonium est partim nobis concreditum, partim verò, velimus, nolimus, posteris resignandum.

Itaque scimus & nos duplex novitatis studium ; alterum pravum ; alterum verò rectum : Illud habetur, cum vetera fastidimus, quia vetera ; & nova sectamur eo præcisè, quia nova : Istud contra, cum vetera satis edocti, eorum vitia simul cum bonis passim commixta, segregare, ac emendare seriò studemus (*).

74. Descendit IV. TamAuctoritatis, quàm Rationis leges famulari oportere Experientiæ ; imò Prudentiæ medicæ. Prudentiæ, inquam, medicæ : Quandoquidèm minimum sæpè est, unde maxima prodeunt remedia, a prudentià Medici curantis unicè pendentia ; de quibus ne cogitarunt quidem sublimia Procerum artis ingenia. Sic notum est vulgò, quod molestissima Lumbago, pro qua solvendà tanta molitus est Sydenhamus ipse (1), sedatur felicissimè rudi frictione illicò institutà, & fotu panni calidi perpetuò retenti in parte affectà. Siccinè vidimus ærumnosissimam primiparam, in aere, & camerâ, ex inolito vulgùs errore, diligentèr clausis, triduò frustrà par-

(*) Hodie norunt Tonsores appositissima remedia pro servissimis in populo curandis morbis ; utputa Pleuritide, febri Pernicioså, ac recenti Dysenteria ; i. e. Venæ sectionem, Corticem Peruv., ac Pulpam Cassiæ. Pro quibus tamen non jam emendandis, sed potiùs divertendis, eheu farraginem remediorum a majorib. traditam!

(1) Op. omn. Sect. VI. cap. 5.

parturientem, adstantibus intereà nescio quæ horrida meditantibus; eandem verò prudentis Clinici adventu, expansis fenestris, vix aeri libero donatam, infantem masculum gratissimè enitentem. Ita tandèm, ut sileam ingentem similium processum, tùm proprià, cùm aliorum Experientià convictus sum, vix dari præstantius remedium pro Ophthalmià exquisità linteis, calidà poscà madidis, assiduò applicatis loco dolenti; vitando utique radios externi luminis, & ignis. Hæc vulgaria sunt: pro quibus tamen notum est, proh dolor! quot circumferantur clamosa, tùm ab ignavis agyrtis arcana, cùm ab audacioribus Chirurgis, Clinicisq. præsidia.

75. In quorum firmamentum producere juvat insignem imposturam, ignoti sanè, ut decet, auctoris; at non ignotæ quorundam Bibliopolarum audaciæ; qui sub præclaro nomine „ Prælectionum Hermanni Boerhaave „ tractatum edidit, tam oratione, quam ordine, atq. medendi methodo a summo Boerhavio longe abhorrentem „ De morbis oculorum. Venetijs 1748. „ Ubi fretus forsitàn exemplis majorum, utputa Hippocr. aphor. 17. Sect. VI.; duorum necnon clariss. Fabritiorum, Hildani scil., & ab Acquapendente, tot, tamque temeraria profert adversùs Ophthalmiam remedia; qualia sunt a pag. 45. in posterùm „ Venæ sectio *Largitèr* .... atque Purgantia Hydragoga *Vsque ad animi deliquium* „ instituta, simùl cum alijs obsoletissimis, ut videatur auctor (in encheiresi optimà cæteroquin non indoctus), post neglectam prorsùs naturam, propriæ salutis curatricem, auxiliorum quoque simplicissimorum, æquè ac tutissimorum majestatem vi-

li-

lipendio habuisse. Jam verò tantam remediorum molem quo putas profectu structam? Nempè ut pag. 84. ferat tandèm sententiam „ Si tamen post hæc omnia malum non cedit, erit incurabile „ Vah nugas! Quasi diceret: Si post adeò absurdam totius hominis animadversionem, amittitur tantummodò lumen oculorum (quod sæpè vidimus), malum quidèm evadet irreparabile, sed merito levius.

Finis Elementorum.

PARS

PARS II.

NUMERATÆ EXPERIENTIÆ HACTENUS COMMENDATÆ ALIQUOT EXEMPLA.

Horum distributio.

Primo agetur De methodo medendi morbis Pectoris.

Secundo. De unius Chinæ Chinæ potestate in coercendis febribus Tertianis: adjectis nonnullis animadversionibus.

Tertio. De Tolerantiæ commodis in febribus acutis anomalæ indolis.

Quarto. De Tolerantiæ necessitate in Asthmate vulgari.

Quinto. De iniquà torturà, vulgò usitatà, ægrorum, tam in Apoplexià, quàm in Paralysi succedaneà.

Sexto. De ancipiti fortunà Emissariorum in ærumnis Chronicis.

Septimo. De indebità abstinentià Emeticorum in morbis Gravidarum, atque Puerorum.

Octavo. De Valerianà, atque Cicutà quædam Experimenta.

Dum hæc opuscula sub Censore, typis prævio, manerent, facta est mihi copia legendi opus recens; cui tit. „ *Della Tolleranza Filosofica delle malattie: Osservazioni Mediche Critiche, etc.* di Giuseppe Pasta. In Bergamo 1787.„ Ubi A.„ momentis Clinico in luculentà praxi versa-

satissimo dignis, adstruit sequentia. Primo: Nihil ita obstare morborum curationi, ac nimiam ærumnarum Intolerantiam; indeq. parem remediorum anxietatem, & fidem. Secundo: fructum Pharmacorum, quin et detractionis Sanguinis in depellendis morbis, incertum. Tertio: Viceversà; Naturæ Medicatricis, ritè substentæ, semper tutum. Quarto: Ad particularia descendendo, in morbis externis, seu vi, seu spontè natis, apparatum idoneum, atq. regimen vitæ, unicum præsidium. Quinto: Morbos inflammatorios (nota benè) tàm Pectoris, quàm reliquorum Viscerum, si non progenie, atq. vi nocendi, saltèm artificio curationis prorsùs eosdem (rejecto, ut par est, discreto ad Pulmones remediorum delectu), unà, vel alterà venæ sectione aliquantulùm levari, pharmacis vero irritari. Sexto: In febribus Periodicis, præsidium unicè congruum, esse corticem Peruv..

Deniqu. morbos quod attinet sive acutos, sive chronicos, occultæ nobis indaginis, ut puta Variolas, Epilepsiam, etc. pro eisdem curandis, Tolerantiam Philosophicam præ primis extollit, remediorumq. jactatissimorum fallaciam ostendit.

Dum hæc adstruit, præcipuas morborum nocendi artes perdoctè elucidat, simulq. remediorum, ut ut Scholæ medicæ, ægrisq. amicorum, fascinum ab hominum cordibus paulatim, si fieri potest (*), exauctorandi viam parat. Ubi videsis.

(*) Eheu difficilem Provinciam! Ex eo quod remediorum jactantia favet apprimè hominum Passionib., Tolerantia contra æruminarum repugnat eisdem. Ad hæc: Nullo negotio discit medicus multa reme-

Jam vero numeratæ Experientiæ calculo enucleare aggredimur hoc opus, partim asserendo, partim vero flectendo aliquantulùm ab æquissimo alioquin præd. fascini castigatore: uti videre est in seqq. exemplis, qualia observavimus per 4. fermè annorum lustra in frequentissimâ ægrorum Provinciâ. Sit autem

EXEMPLUM I.

Praxis nostra medendi morbis Pectoris.

1. HI vocantur vulgò: I. Pleuritis. 2. Peripneumonia. 3. nomine compósito, Pleuropneumonia. 4. Catarrhus exquisitus. 5. nomine generico, Rheuma pectoris.

2. Quidquid sit de signis, genioq. nocendi unicuiq. proprijs, omnes in eo convéniunt; quod inferant haec tria: i. e. Pulsum constanter violentum; tussim molestam; ægritudinemq. ad thoracem peculiarem. Verbo: æstum specialissimæ indolis, cujus vivaciora Symptomata, ex varijs prædisponentib. causis, infliguntur pulmonibus, vel etiam pleuræ; & non alibi. Quam verborum emphasim, reipsà omnib. congruam, pleuritidi aptavit magn. Sydenham. Op. omn. Sect. V. cap. 3.

3. Agitur propterea de morbis pectoris acutis: non vero de chronicis, uti asthmate, hydrope, vomica, phthysi, &c.

4. Circa variam de his morbis majorum doctrinam longum

dia, quæ imperet ægrotis. Contra: non nisi tædiosis simo quæ non imperet.

gum pridem ordinavi processum, quem tamen hic omittere satius duxi, cum quia eruditis notum, tum quia eorum diagnosis, atq. medela, antehac enormiter diffluens, post impigerrimos Sydenhami, Trilleri, Clinicorumq. prudentiorum labores, pressior in dies, certiorq. evasit.

5. Nihilominus infortunia nimis crebra, quæ vidimus, incitarunt nos ad procurandam certiorem adhuc viam.

6. Princeps venæ sectionum auxilium omnes prudentes prædicant; certum vero tenendi modum haud facilè invenies. Reliqua autem præsidia, vulgò usitata, uti potus calidus, decocta pectoralia, Oxymellita, &c. noxia potius mihi visa sunt.

7. Acta sunt ferme tria annor. lustra, ex quo accidit mihi talis suspicio: cujus momenta antequam producam, referam et ego infortunia, quæ toto hoc tempore mihi contigerunt in promiscuà ægrorum turbà.

8. Et primo quidem talium morborum duplex genus expertus sum. Alios videlicet exquisitè inflammatorios, numero 2. mox designatos; de quib. potissimum agitur.

9. Alios complicatos; ubi scil. præter signa inflammationis aderant pariter & alia pravæ cujuspiam acrimoniæ, puta Erysipelacæ, Scorbuto-Rheumaticæ, &c. ex corrupto aere, potu, cibis; aut etiam labe insigni, in pulmones aliunde retropulsà. Quod ex tacito virium collapsu, alvo, respiratione, & pulsu inordinatis; dolorib. tam situ, quàm sensu vagis, alijsq. ærumnis, etiam post celebratas aliquot venæ sectiones, adhuc obstinatis, suspicabamur.

10. In hoc posteriori genere, a Peripneumoniâ nothâ,

sive etiam epidemicà, vix alieno, ubi venæ sectionib. pro more indulgere me non posse, indeq. ancipitem futuram prævidebam ægroti fortunam, adhibui sæpe methodum operosam vulgò receptam: i. e. potiones pectorales tepidas, oxymel, nitrum, camphoram, fomenta, chlysmata, vessicantia: non omisso, quoties casus ferebat, emetico. Sæpè pariter adhibui & nostram, jam jam tradendam.

11. Attamen vix unqu. observare potui ex tali variatione variatam ægrorum fortunam: modò enim servatos vidi; modò secus. Unde nihil certi habeo de therapeja horum morborum: de quib. proinde non agitur modò.

12. Ex priori genere inter infortunia recenseo: I. Quorum veram morbi naturam, idoneo saltem curationis tempore, ignorabam: eo quod præter alia pulsuum, tussis, sitis, vultus larvata signa, dolor vagus modò ad medium Sternum, simulabat cruditatem stomachi; modo hinc inde subtùs costas spurias, Hæpatitidem, Splenitidemve; modò ad lumbos, Lumbaginem; &c.: Cum tamen æger verà Peripneumoniâ laboraret; uti postea rubor genarum, dolor ponè dorsum jam fixus, sputa lurida, præcordiorumq. anxietas ostendebant. Unde præcipuum Venæ sectionis auxilium vel parcè nimium, vel nimis serò adhibebam: errore vix in posterùm emendabili: quod mærens recordor.

13. II. Senes, vel ætate, vel ærumnis decrepitos, debitis ferendis Venæ sectionibus impares.

14. III. Qui in teterrimâ Peripneumoniâ, ex inolitâ consuetudine potionib. calidis, apozematibusq. oleo-mellitis abutebantur: ex quo pariter venæ sectionib. necessarijs reddebantur impares.

15.

15. IV. Qui vel casu, vel repugnantiâ sive omittebant, sive notabiliter procrastinabant urgentem quampiam venæ sectionem : idest, sive primam ab inuente morbo, sive etiam in morbi ferociâ, quartam, quintam, &c. comminatione, expressâ summi ex negligentia discriminis, a me imperatam.

16. In præd. inquam, casibus non rarò vidi morte sublatos ægros, atroci quapiam pectoris inflammatione correptos.

17. Hæc infortunia si excipias ex ægris n.2. designatis, tempore n. 7. definito, tractavi mille 500. circiter; ex quib. neminem reminiscor, aut esse mortuum, aut etiam tussi, molesto sputorum excreatu, alijsq. ærumnis, horum morborum pedissequis, vexari perrexisse ultra 15. vel 16. morbi, etiam teterrimi, dies.

Quonam pacto id a me fiat, en methodum ingenuè positam.

18. Vocatus ad ægrum, de recenti ægritudine (n. 2.) ad Thoracem querulum, exploro pulsum arteriæ: quæ si „ Tota, rudiùs, atq. vehementius, quàm in sanitate, trudit comprimentem digitum „ appello pulsum Sanguini-petam, in inflammatione horum viscerum peculiarem: contrariuin vero Sanguini-fugam (*).

19. In primo casu impero Venæ sectionem ex brachio (vix unquam alibi) : cui & adsum vel semper, vel saltèm quoties urget malum : ut observem in ægro, cum respi-

ra-

(*) Interea nullam novi pulsuum doctrinam, quæ non peccat, præter intimam experientiam ; seu mavis, peculiare Numen, quod alijs plùs, alijs minùs favet.

rationis & vultùs, tum maximè illum arteriæ collapsum, inter mittendum Sanginem natum, undc conjiciam tam de successu morbi, quàm de tempore opportuno revisendi ægrotum, pro seq. venæ sectione; Quod pluries ad horam redit.

20. Quam suspendo in contrario pulsuum statu: Quod idem non semel contingit in prima visitatione ad ægrum, ex tolerato diu morbo feroci, nimiùm fractum: quo casu ante omnia instauro labefactas vires, neutiquam pharmacis, sed prælibatiss. alimentis, paulo infrà recensendis. Additis fomentis laneo-calidis ad artus corporis sive dolentes, sive frigidos, & omnium maximè ad pedes. Inde aggredior venæ sectiones.

21. Suspendo pariter sanguinis missionem ad omnia lucida intervalla; quæ in his morbis eo reperi frequentiora, quo malum est gravius: ubi passim evenit, per integrum biduum abire me, atq. redire in casum ad visendum ægrum; attamen die postero, & sæpe morbi ultimo, bis, ter, imo quater instituere venæ sectionem.

22. Sic pergo usq. ad ultimam morbi principis, i. e, febris horam. Neglecto prorsus quocumq. dogmate, vulgò allegato, puta provecti nimis morbi, doloris jam emendati, sudoris, sputorumve, vulgo criticorum, &c. Quin ad curationem horum morborum, præsertim lethalium, ritè dirigendam invenerim tutum præceptum, præter mox expositam pulsuum, atq. venæ sectionum cynosuram.

23. Verbo: Sive hoc, sive aliud accidat novi, si tamen pulsus trudat digitum modo n. 18. indicato, mitto Sanguinem quocumq. morbi tempore, usq. ad collapsum arteriæ

riæ: confortando interea ægrotum, quoties metuitur, ne deficiat animo, haustu aquæ frigidæ; vel potius aceto affricto ad nares, os, tempora, &c. Certò metuens, ex neglectâ hac medela futurum immedicabile malum.

24. Ad hæc autem utiliter præstanda duob. indiget prudens Clinicus. Primo: oculatis, quasi dicam, digitorum apicibus, pro discernendo pulsu Sanguini-peta a contrario. Secundo „ Ab uno medico multos non posse Curari; eumq. idoneum esse qui non multùm ab ægro recedit „ quod universim ajebat Celsus Lib. III. cap. 4.

25. Quoad methodum nostram vicariam, & signatè quoad interna præsidia, fateor sanè, novam videri. Sive enim recogitem barbaros Indos, a certâ medicæ artis ope alienos, sive Clinicos ubivis terrarum laudatissimos, unusquisq. pro suomet ingenio, adversus morbos, de quib. agitur, quandam adhibet remediorum, quasi dicam, architecturam. Ego nullam: præter consueta alimenta sanitatis.

26. Nimirum: Tam poculenta, quàm esculenta, ægris gratissima: Qualia sunt 1. Aqua fontis, pro conditione locorum saluberrima. 2. Fructus sive recentes, sive passi, pro anni tempore prælibatissimi; uti fraga, cerasa, poma, aurantia dulcia, pruna, ficus, uva. 3. Juscula ex optimis carnibus. 4. Acetaria gratissima ex intybo, lactuca, etc. verbo: quodvis, ad instaurandas tantùm, non vero ad medicandas infirmas ægrorum nostrorum vires accommodatissimum.

27. Quoad externa auxilia: I. Fotus adhibemus loco dolenti ex lanâ ad ignem calidâ: idq. sive a latere tantùm, si-

sive retrorsùm, uti ad scapulas, dorsum, &c. minimè vero antrorsùm versùs Sternum. II. Clysmata ex aqua simplici, decocto hordei, aut jusculo altilis: idq. solummodò ubi impotens alvi fluxus resistit venæ sectionibus, aliàs nequaquàm.

28. Ita pariter utimur, licèt rarò, vessicantibus: Ad crura quidem, quoties refracto venæ sectionibus pulsu, turbari incipit sensorium commune, unàq. gravari pergit respiratio ad pectus: Ad locum vero doloris, in duob. oppositis casibus i. è tum quando pristinus dolor prorsùs evanuit, residuo adhuc morbo: cum quando, relevato etiam morbo, i. e. Febre, impotens dolor (jam Rheumaticus) adhùc sævire pergit.

29. En totam methodum, qua servantur vix non omnes ægroti nostri a quovis teterrimo pectoris morbo. Quod verò summum est operis pretium, adeo optatissimè servantur, ut vix unum numero inter 30. noverim, qui ægrotaverit ultra octavum a decubitu diem: vix unum inter viginti, qui omnium Symptomatum, vulgò aliàs, etiam devicto morbo, superstitum, puta Tussis, Sputorumque fœnori, non valedicat uno, vel duob. diebus antequam ipsius febris oneri. Certè inter ægros operosà medelà, vulgò receptà, tractatos, novi admodùm paucos æquè fortunatos.

30. Quid quod eadem methodo, eodemq. eventu tractamus, tam senes vegetos, quam pueros; tam puerperas, quàm prægnantes. Imo quosvis, alienæ indolis morbo, puta Quartanà, Hydrope, Asthmate, Epilepsià, diu vexatos: ubi venæ sectio Pleuritidem v. gr. supervenientem in-

invictè corripit; morbum vero alienum ne unguem divertit.

31. Loco Appendicis addimus. Primo: Eadem methodo vicarià, i. e. prælibatissimis alimentis, et aquà frigidà opportunè haustà, ritè tecto corpore, præsertim pedibus adversùs aeris injurias; non nunquam unà, vel alterà venæ sectione, mederi nos faustissimè simplici pectoris Catarrho, a tussi crebrò fatigante, molestissimo, hyeme præsertim in populo familiari. Morbo nimirùm, inde uti reor, infami reddito, quia methodo potionum calidarum, pectoralium, &c. vulgò receptà, vix emendatur, donec tædio animi, derelictà hujusmodi medelà, redeant ægroti ad consuetum vivendi morem.

32. Secundo. De Pleuritide vulgò Æstivà, expertus sum seqq. 1. Adest dolor modò ad latera, modò ad scapulas, ægrum angens acerbiùs, quam febris, cum pulsu rarò (saltem constanter) pleuritico; ac proinde Rheumaticus potius, quam Pleuriticus. 2. Quandoq. propensio ad vomitum, a vitio primarum viarum. 3. Pluries neutrum: i. e. neq. ulla febris, nec ullum præd. vitij argumentum. In primo casu, si uni, vel alteri venæ sectioni non cedit, sed magis exarcebatur malum, certum levamen vidi ab uno vessicanti ad locum doloris. In altero, emetico ex ipecacuannà. In tertio tandem, uno panno ex lanà exactè calidà, ad locum doloris mordicùs applicato, ibidemq. retento.

33. Tertio. Quod calido regimine tam potus aquæ, quàm conclavis, atq. stragulorum, tandiu utimur et nos in his morbis, quandiu, & ubicunq. durat in ægrotis sen-

satio frigoris: ut puta donec pertranseat rigor paroxysmi; et non amplius.

34. Quarto. Argumentum mihi certius, quod hi morbi sincerè denuntiant sui vel terminum, vel saltèm inducias, esse tria simul præsentia. Nimirum: Laxam pulsuum demissionem: Diminutam præcordiorum anxietatem: & vultum ægri pallidum. His contraria, simul cum sputis luridis, densè rotundis, difficilè excreatis, inevitabilem mortem prænuntiant; etiamsi pulsus videantur sanorum similes.

Horum ratio.

35. Adeo prosperis (n. 29. seq.) perpetuò mihi succedentib., tædiosa devenit longa providentia remediorum adversus gravia accidentia his morbis familiaria, quæ prostat apud gravissimos eorum tractatores: Qui, dum in Hippocr., Galeno, &c. eandem quærunt, ægri verò non ideo minori numero periclitantur, varias induxerunt causas, atq. recessus ærumnarum; singulisq. dicarunt singularia remedia; cum quib. princeps venæ sectionum auxilium ita confuderunt, ut pæne virib. expoliaverint. Uti videre est apud Ballonium, Martianum, aliosq., non excepto cl. Baglivio. Idem contigit olim, i. e, ante inventum corticem Peruv., cum febrib. Periodicis tunc Malignis vocatis, hodie vero Perniciosis. De quo infra seorsum.

36. Proinde, contra methodum nostram non facit, quod nova sit; summis in arte Magistris Hippocrati, Boerhavio, alijsqu. ignota, opposita, adeoq. vix crederda. Siquidem plura, atq. majora supersunt detegenda in arte me-

medicà, quàm valeat suspicari Clinicus prudentissimus, nisi proprijs videat oculis. Ita nec nos credebamus initio nostræ palæstræ Clinicæ, potiones calidas, oxymel, apozemata cuncta, pro morbis pectoris a celebb. viris laudata, fore modò noxia, modò vero supervacanea, donec proprijs, quasi dicam, tetigimus manibus.

37. Nec item facit, quod multi pariter contrariâ nobis methodo serventur ab hujusmodi morbis. Hoc unum, quod nemo tantorum virorum, qui diversa tradiderunt, proferre ausus est hactenus ex catalogo ægrorum suorum, numerum servatorum adeo ingentem, simul & faustum, qualem nos proferimus. Quæ est summa meta, a Clinico desideranda; Idq. maximè quando supersunt palmaria momenta; Qualia sunt

38. Primum: Pulmo cujusvis nobilioris animantis in statu Sanitatis est veluti gaza, non frigoris, sed caloris; cui temperando deperit idem cum aerem, tum aquam frigidiusculam: maximè si accedat calor auctus reliqui corporis ex labore, itinere, &c. Quid ni hoc ipsum depereat homo in æstu mørboso, qualis habetur in Pleuropneumonijs?

39. Mirum, ad hæc non animadvertisse Hippocratem, nec alios in succedentib. ætatibus, qui calidas potiones adeo commendant in morbis pectoris, præ aliorum viscerum. Mactè novimus, extrema sive frigoris, sive caloris, esse ubivis noxia, & maximè pulmonib.; sed longè abest ab utroq. potus gratissimè refocillans æstum Pleuro-pneumonicum.

40. Hallucinatio sita videtur in confundendo causam horum morborum occasionalem, sæpe jam præteritam,

cum

cum actuosà, ac mordicùs præsente, quam debellare oportet. Scil. Frigida bruma infligit plerumq. tussim, catarrhum, pleuritidem: attamen catarrhus, pleuritis, &c. posthàc non est frigida temperies, sed contra nimius calor universi sanguinis, & maximè pulmonaris.

41. Secundum: Methodus optatissima medendi pulmonum inflammationi. tria præstare debet: primum, & maximum, moderare nimium æstum universi sanguinis, ac proinde pulmonaris. Alterum: Arcere, quoad fieri potest, a pulmonib. stagnationem sanguinis, lymphæ, humorum cujusvis ordinis; sin minùs, derivare eosdem a canalib. sanguiferis in aereos; ab utrisq. minorib. ad majores usq. ad bronchia; ubi adipiscuntur molem sputorum; i. e. laticis glutinosi, vario pro varietate vasculorum obstructorum distractorumq. colore. Tertium tandem; urgere per trachæam, indeq. expellere per os laticem hunc, mole atq. calore loci, vitæ munijs infensum. Quæ functio vocatur Anacatharsis.

42. Inter hæc duob. prioribus egregiè satisfit Venæ sectionibus: ultima verò functio, sive Anacatharsis, ut sit optatissima in his morbis, oportet, quod sit „ Rara, facilè functa, breviq. defuncta sputorum cruento-maceratorum, ex fundo mali erutorum, excreatio „ cavendo in eisdem, sicut in toto reliquo vitæ tempore, ut rarò tussiat homo, raròq. expuat, sed energicè; càque lege, ut excreare, atque tussire desinat, antequam febris desinat (num.29.). Exauctoratà ab inopportunis encomijs sputorum horum coctione; multoq. magis laxitate illà, nescio quà, pulmonum, cum decoctis tepidis, syrupisq. oleo-

oleo-mellitis, adeo perperàm intentatà: quippe quæ exsolutionem compagis pulmonum diu (i. e. post superatum etiam morbum) duraturam inducunt. Quod nefas in nostrà medendi methodo.

43. Itaq. Sputorum Rara, energica, &c. excreatio non est opus pharmacorum, sed virium vitæ, in tanto malo, & post tantam sanguinis jacturam, seu mavis, solutam pro merito mercedem, adhùc superstitum. Quis autem promittat, aquam seu calidam, seu tepidam, julapia oleo, vel aceto condita, nitrum, camphoram, &c. esse dapes virium labefactarum instauratrices? Ego sanè, ut communi utar dicterio, apponerem hæc pro secundis mensis eorum, qui eadem tantopere laudant. Contra evenire cum dapibus num.26. recensitis perpetuò expertus sum.

44. Tertium. Prædictorum vis augetur ex eo, quod in alijs morbis, utputa febribus Perniciosis, Lue venereà, Dysenterià epidemicà, &c. ubi peculiaris nocere solet elementorum pravitas, peculiare pariter alexipharmacum investigari oportet: hic verò secùs, ubi nulla metuitur peculiaris malitia, præter auctum pectoris, indeque universi sanguinis æstum.

45. Nec prodest cavillari, retinendam esse viam pharmacorum, universali consensu delectorum, quibus perficiantur varij motus critici, in his morbis præ alijs a naturà intenti; quorum maximus est Anacatharsis. Contra jam pridem, tanquam ex tripode Apollinis, insuflavit nobis magn. Sydenh. loco cit.„ Varios hujusmodi motus in Pleuritide (idem valet de reliquis) solis obtempera-

rare Phlebotomijs: atq. suam liberando fidem, Sputa magis, vel minùs copiosa neq. inducere, neq. decernere horum ægrorum fortunam: ac etiamsi decernerent, ipsum tamen prorsùs latere aliam viam pro eliminandà materià morbificà, præter orificium a ferro phlebotomo incisum, quod tracheæ vices subire cogatur „ Quibus apprimè concordant observata nostra: imo catenùs concordant, ut Pleuro-pneumonicorum deploratissimos (puta Epidemicos) mortem oppetijsse viderim post immanem Anacatharsim, sive sputorum scaturiginem. Cujus confirmationem videsis apud Cl. Freindium Op. omn. Tom. II. pag. m. 140.

EXEMPLUM II.

De unius Chinæ Chinæ potestate in coercendis Febribus Tertianis: adjectis nonnullis animadversionibus.

1. Febres istæ sub amicarum specie puta Ephemeræ, simplicis catarrhi, &c. pluries imponunt: Sub acerbiorum, acutarum, inflammatoriarum, &c. illudunt aliàs. Inde varias adipiscuntur formas: donec instinctu nobis occulto, aliæ in Exquisitas abeunt, imò innoxias; aliæ contra in sonticas, seu Perniciosas; non paucæ etiam in continuas.

2. Sporadicè quovis anni tempore, epidemicè verò æstate, autumnoq. plurimùm; rarò hyeme; frequentiùs vere grassantur In locis montanis, boreà perflatis, minùs; in depressis, mari finitimis, vel austro perflatis, maximè sævire, utrobiq. præsens expertus sum. 3. Me-

3. Medelam quod attinet harum febrium, ante Specifici i. e. Chinæ chinæ inventum methodo tantum genericà, puta Venæ sectione, purgantibus, amaris, deobstruentib. &c. curabantur. Inde vero & maximè post acerrimos cl. Torti conatus, fallacia methodùs genericæ, specificæ contra præstantia detecta est.

4. Nihilominus nostris etiam diebus, in luculentà praxi methodo genericæ specificam addere placuit; indeq. mixta invaluit. Quo autem omine id fiat juxta nostra observata, paucis dicam.

5. In tribus ultimis annor. lustris tractavi harum febrium, Epidemicà constitutione, & aeris climate invicem diversarum, ultra quinq. millia. De graviorib. loquor: de mitiorib., puta vernalibus, postea dicturus.

6. Quod attinet Sanguinis missionem, in quibusdam epidemijs tentavi hinc inde utramq. viam: abstinendo in alijs ægrotis, in alijs contra celebrando venæ sectionem; prælatione captà ex signis plethoræ, atq. phlogisti, uti volunt patroni hujus medelæ: exinde adhuibui corticem Peruv.: attentusq. ad singulorum eventus, inveni, inter centum v. gr. hinc inde distributos, quibus Sanguis missus fuerat; quinq. aut sex, vel etiam septem reali profectu beatiores; reliquos vero universim pejus mulctatos, quàm alios centum, quib. tacta non erat vena.

7. Idem fermè contigit in alijs atq. alijs Centenis, æquè distributis, cum Purgantib., etiam præsentib. alvi sordidæ signis. Profectum aliquatenùs majorem expertus sum ex Ipecacuanna prudentèr adhibità. Vessicantia quod attinet in Perniciosis soporosis, eorum utilitas infi-

da

dà mihi facta est; Scil. modò conspicua, modo nulla; ignotà sane alià præter occultum morbi genium, hujus discriminis causà.

8. Jam vero novissimè an. 1790. ingruente undiq. in populo atroci harum febrium concursu, in aliquot ægrorum centenis, diversæ invicem indolis, neglecto prorsùs omni alio remediorum subsidio, adhibui solum corticem Peruv. protinus a primo insultu, copia liberali durando constantèr usum ejusdem usq. ad integram fomitis morbi extinctionem; cautè tantùm exceptis tam paroxysmi quàm statùs febrilis intervallis. Omnes valdè minori discrimine servati sunt, quam reliqui mixtà methodo tractati.

9. Horum ratio esse videtur, quia morosum harum febrium genium non cedit remedijs, mentis astu quæsitis, puta genericis, nisi casu, hoc est, nisi medijs turbis, morbosi fomitis compagem fortunatè destruentibus: uti de venæ sectione ajebat Boerh. ubi sup. Elem. n. 15.; Casu autem mederi non est arte mederi. Vice versa; cortex Peruv. corrigit constantèr præd. fomitem (saltem recentem); quamquam modo nobis occulto. Igitur de hac re videtur superesse tantum investigandus exquisitior adhùc hujus antidoti usus. Cui negotio non parùm incommodi latura videtur methodus mixtæ occupatio. Huic negotio expeditiori reddendo,

10. Animadvertendum I. In his febribus exquisitis, atq. mitissimis, quales plerumq. sunt vernales, contingit pasim, abire, atq. redire per plures dies, indeque improvisù evanescere, quacumq. tandem methodo tractentur.

11. Animadv. II. In æstivis contra, sive etiam autumna-

nalib. præsertim Perniciosis, expertus sum, æquè fermè contingere recidivas, quavis methodo tractassem eas. Cum hoc tamen discrimine, quod in ægris solo cortice tractatis, multò breviùs desinunt recidivæ, citiusq. redeunt pristinæ vires. Contra evenisse comperi methodo mixtà utentib.: & prætereà, quod in febrim Quartanam sunt magis proclives.

12. Animadv. III. Pro medendo præd. recidivis, earumq. tædiosissimis sequelis, tam ipsum Corticem, quàm alia remedia vulgò laudata, puta Amaricantia, Deobstruentia, Martialia; eaq. maximè purgantib. mixta, constanter expertus sum aut noxia, aut inertia, in quibus proinde siquid boni expertus sum, id a sola providentiâ diæteticâ, atq. gymnasticâ nactus sum.

13. Animadv. IV. Quoties in præd. febrib. accidit irruptio halitûs morbosi ad pectus, vel gulam, pulsu constanter valido, venæ sectio ritè celebrata talia symptomata ita coercuit, ut reliquam aut morbi, aut medelæ fortunam ne unguem turbaverit.

14. Denique animandv. Disputatur passim inter Clinicos „ De adhibendo nec ne cortice Peruv. ægro laboranti Febre simpliciter remittente, quæ neq. Putris apparatum præ se fert, nec Inflammatoriæ, neq. Tertianæ exquisitæ, neq. Perniciosæ, sed medium quid „ Quæ viderim ego in centum, et amplius hujusmodi ægris, accipe paucis.

15. Primo in dimidio circitèr eorum numero opportunis horis aut exhibui, aut exhibitam novi liberalem Corticis copiam. In paucis admodùm febris confestim remi-

sit ; indeq. vel evanuit, vel exactè intermisit : In reliquis acutior effecta est : Unde post varios labores maxima quidem pars evasit ; nonnullus autem perijt. Secundo : In altero numero expectavi mordicùs naturæ cursum, abstinendo vel ab omni remedio, vel saltem a Cortice in quæstione. Omnes citiùs vel seriùs convaluerunt, minori valde Symptomatum perturbatione.

EXEMPLUM III.

De Tolerantiæ commodis in febrib. acutis anomalæ Indolis.

1. QUidquid sit de varijs nominib. harum febrium apud Sauvages (1) videndis; genium plerumq. epidemicum, irrequietum, atque difficilis iudicij præ se ferunt : de quo egregiè Sydenh. per totam Sect. V.

2. Rem quod attinet, nihil antiquius in terrà mortalium, quàm hujusmodi febres : nulla antiquior medela, quàm quies corporis, & potus aquæ. Donec varietas Symptomatum, quæ his morbis inopinatò accidunt, varietatem pariter creavit remediorum : & viceversà.

3. Hoc mihi peculiare habent, quod earum certa medela neque ferro phlebotomo, neq. cortici Peruv., nec alio singulari pharmaco, sed accommodæ ad summ. præd. Symptomatum providentiæ succedit.

4. In ultimo decennio tractavi harum febrium circiter duo millia: Quartam plus minùs partem in cœtu nobiliori: re-

(1) Nosolog. Class. II. de Febrib. artic. 3. 4. 5.

reliquas in promiscuo vulgo: diversà in utrisq. fortunà.

5. Scilicet inter ditiores, puta morborum Intolerantiores, ingruente quopiam ærumnoso Symptomate, unum de duob. a clinico exigunt, aut præsentem opem, aut securum prognosticum de futurà incolumitate ægrotantis.

6. Siquis cautus neutrum se præstare posse reponit, advocatur alius, atq. alius clinicus, qui morem gerat, promittendo utrumq. ope remediorum variatorum ad libram, quasi dicam, Symptomatum: Remediorum, inquam; quæ, quo speciosiora, eo magis probantur.

7. Ex qua methodo nonnullum quidem novi spe citiùs servatum: plures contra post diuturnam luctam, in perpetua vicissitudine Symptomatum, atq. remediorum transactam, tandem sibi relictos, pristinam valetudinem consecutos. Reliquos vero post luctuosum certamen extinctos.

8. Fateor autem, me ex adeo implexo morbi, atq. remediorum successù nullam Experientiam haurire potuisse, cui tutò fidere possim.

9. Viceversa: reliquam partem harum febrium ex infimà plebe, mihi soli concreditam, tractavi constanter prælibatissimo ægris ipsis regimine, abstinendo ab omni remedio, donec electrum, quasi dicam, morbi Archæum, uti assolet, mobilissimum, proximè insidiabatur vitæ: cui suppetias ferre curabam seq. ratione.

10. 1. Pulsib. pertinaciter turgidis, venæ sectione. 2. Nauseæ pariter pertinaci, Ipecacuannà. 3. Gutturi æstuanti, gargarismate, ut plurimùm ex aquà simplici. 4. Præcordijs, renib., atq. vessica pariter æstuantib. de-

cocto graminis, vel etiam aquà gelidà, epotis ad libitum ægroti, dum sui compos esset; dum secus, paulatim, ac modicum ex alterutro. 5. Tam in torminib. quam in meteorismo Ventris, chlystere frequenti ex aqua simplici, vel decocto malvæ. Idem in alvo nimium sive adstrictà, sive laxà. 6. In sopore gravi perseverante, vessicantib. ad extremos artus, vel occiput. 7. Declinante jam morbo, nihilominùs abdomine saburrà oppleto, leni cathartico.

11. In decursu harum febrium, Symptomatib. anomalis, simul cum prostratione virium passim terrentib., loco exquisitorum Antiputridorum, Anthelminthicorum, &c. ut puta Spiritus vitrioli, Spiritùs Mindererij, Pulveris Dowerij, Liquoris Anodyni tam Mineralis, quam Animalis Hoffmanni &c. commendavi mala citria, Aurantiaq. Panem aceto imbutum; quandoq. vinum: optatissimo sanè eventu. Quippe qua methodo plerosq. hujusmodi ægros felicitèr servavi; eoque feliciùs, quo ærumnarum Tolerantiores. Ubi proinde minùs valere expertus sum illud Poetæ: Principijs obsta: serò medicina paratur, &c.

12. Interea novi plures, in turbà quasi dicam, præd. febrium latitantes, quib. in tutò collocandis non suffecit exposita methodus. Scil. illis, quæ vulgò, & merito Malignæ audiunt, a proditorio occidendi genio, quod præ se ferunt; inde maximè timendum, quod ad oblatam quamvis opem, sive rationalem, sive temerariam, æque surdescunt: donec clanculùm sæviendo, lugubri tandem conflictu perimunt. Tractavi certe bis centum hujusmodi ægrorum; partim utiq. servatos; plures autem extinctos.

Enim

Enim vero de his etiam, atq. etiam testor, me nullum expertum esse tutius auxilium, quàm abstinentiam ab omni tumultu remediorum.

EXEMLUM IV.

De Tolerantiæ necessitate in Asthmate vulgari.

1. MOrbus est in populo frequens; familiarior fœminis, quam viris.

2. Lecto cubantes, vel aliud agentes, nec opinantes plerumq. invadit.

3. Difficilem anhelitum; thoracis angustiam; stringi præcordia; animam tolli, non nisi erecto corpore, novi aeris accessu, alijsq. adminiculis recuperandam, percipiunt ægri.

4. Varijs formis invadit. Primà Humidà, forsitan ita dictà a copioso sputo, huic generi familiari. Alterà Siccà, a nullo, vel parco admodùm excreatu: De quib. utpote frequentiorib. in præsenti. Tertià, minùs frequenti, exquisitè inflammatorià; catarrho pectoris exquisito, de quo sup. Ex. 1. parùm absimili, ejusdemq. medelæ: Quam proinde videsis.

5. Priorum generum maximam partem invadere occasione cibi, seu mavis, chyli indigestilis, post susceptum tacitum frigus ad artus, & maximè pedes, pluries observavi. Quorum numerum circiter mille tractavi eventu seq.

6. Primo. Media circiter pars fatebatur, se jam pridem

huic

huic morbo identidem recurrenti, eiq. in dies obstinatiori, esse obnoxium : Quoad medelam vero repetità Sanguinis detractione : Pharmacis vulgo pectoralib. ex oleo, melle, aceto, gummi varijs, alijsq. similib. calidè, vel tepidè haustis, obviam ivisse.

7. Secundo. Altera pars sub meo regimine primum morbi insultum experti sunt : quos propterea tractavi methodo sequenti. 1. Ægrum erecto corpore stare, artus inferiores, & maximè pedes mordicùs calefacere ; superiores contra, & maximè caput refrigerare : 2. Aquam frigidam in leviori, in graviori autem insultu, nive gelidam affatim haurire consulo. Nil aliud, donec pertranseat paroxysmus.

8. Quo paucis horis, vel ad sum. nycthemerà indubiè obtento, si remaneat ciborum pravitas cum Stomachi nauseà, Ipecacuannà ; si cum ventris onere, cathartico medelam absolvo : reliqua tempori, vitæq. regimini committo.

9. His ægris eundem insultum & numero paucis, & longiori intervallo redire animadverti : eademq. methodo itidem corripui.

10. Contra : Priorib. (n. 6.) ægris medela isthæc non nisi levem quempiam insultum corripuit. Graves autem ex inolità (ibid.) acerbà medelà contumaces, vessicantibus ad artus, quoslibet, imo etiam venæ sect. &c. superiori (n. 7.) methodo additis ; & insuper diuturniori ærumnarum tolerantia unicè corripere potui.

11. Verbo : Numeratè expertus sum, hunc morbum talitèr (n. 6.) tractatum, & frequentius reviviscere, & in dies

dies pertinaciùs: donec hydrope quaquam, peripneumoniâ nothâ, vel affinib. ærumnis confectum acerbâ ætate peremerit ægrum.

EXEMPLUM V.

De iniquâ Torturâ, vulgo usitatâ, ægrorum tam in apoplexiâ, quam in Paralysi succedaneâ.

1. Hac nota indicamus methodum tractandi hos morbos, cujus specimen prostat apud Rec. Præceptorem Italum per seq. processum. „ Post sanguinis missionem, & repetitum Emeticorum, & Catharticorum usum, Camphoram, Moschum, & Valerianam Silvestrem, cum decoctione ligni Visciquercini exhibemus. Affectæ parti Vessicantia, Frictiones, Urticationesq. sæpe adhibere solemus: Et per totam Spinam manè, & serò frictionem ex nive, spiritu antiparalytico Chneoffellij infectâ, factam commendamus. Balneorum frigidorum usus frequens nobis est. Nec homines succiplenos ab Antimonij pulveris ad drachmam unam, cum sale volatili Succini, aut cum pulvere Sarsæparillæ, aut cum ipso moscho, & castoreo copulati usu, & a repetitâ Electricarum concussionum actione alienos habemus „

2. Hactenùs A. quib. plura similia addit inter curandum hujusmodi morbos vulgo usitata. Nullum interea profert neq. discrimen variarum tanti mali specierum: neq. exemplum, tantâ remediorum mulctâ aut servatorum, aut sublatorum. Et si proferret, dic mihi, sodes, cui-

cuinam ex tot diversis moliminib. tribuendum foret?

3. Nos autem circa hos morbos constanti Experientia novimus sequentia. I. Tam in Apoplexià, quàm in Paralysi perversissimis, a constanti sensuum, motusq. sideratione cognoscendis, iuvasse nihil.

II. In utrisq. Sanguineis; a constanti pulsuum turgescentià, vultu lividiusculo, atro quandoq. vomitu cognoscendis; unà, vel alterà venæ sect., ac potu aquæ morbum brevi solvi.

4. III. Easdem Biliosas, a peculiari humorum, vel etiam solidorum vitio ortas, pulsuq. frequenti, molli tamen, stomacho nidorem eructante, rubore vultus, &c. internoscendas, lenissimis Purgantibus, rarò Emetico rariùs vessicantibus; sæpius fotu calido ad extremos artus, frictione Spinalis medullæ, ac diætà salubri paulatim solvi.

5. IV. Easdem Nervosas, ex dudum prægressà nervorum, seu vis vitæ labe repentè insilientes; atq. ex pulsu acri, vultusq. pallore præ primis dignoscendas, vel citò extinxisse hominem, vel violentam, num. 1. mox expositam, medendi methodum extinctioni disposuisse. Nec alia tentamina solatium attulisse novi, præter blandissima quæq. domestica; Nimirùm, diætam, frictiones, chlysteres, atq. balnea seu calida, seu frigida pro anni tempore, & causa morbi mordicus præsente, instituta.

6. V. Easdem Hystericas, ab habitu ægrotantis, pulsu, vultuq. varijs speciali artuum vigore, ac ventre irregulari (nec pigro, uti plerumq. in præcedd. speciеb.), expiscandas eàdem ferè methodo, qua præcedentes Nervosas, paulatim quidem, sed egregiè solvi. 7. Ex

7. Ex ultimis, inquam, quatuor ægrorum ordinib. non paucos novi, præd. methodo optatissimam valetudinem consecutos: dum alij acerrimis ausis vix afferunt tantos.

8. Imo, loquendo in genere de his morbis, in flagitium medicinæ natis, nescio quo omine adeptum sit, ut adeo acerbè tractentur ægri isti, qualiter præsumit Schola, tam vetus, quàm recens, duce Boerhavio. Nihil naturæ morborum medicatrici, nihil nostræ Exper., nihil rationi magis adversum. Impossibile videtur, naturam adeo severe mulctatam, & æquè in adeo diversis nervorum noxis, quales modò descripsimus, sibi constare posse in procurandà medelà: Undè orietur quidèm aut salus, aut mors, aut alius morbus; sed causa ignorabitur: quà ignotà, nihili habenda est ars medica. Inde vulgare proloquium „ Variatio remediorum, miserorum solatium „ flectere oportet in hoc aliud „ Variatio remediorum, hallucinatio miserorum. „ Quod idem amplius patebit Ex. seq.

EXEMPLUM VI.

De Ancipiti fortunà Emissariorum in ærumnis chronicis.

1. FOnticuli, Setacea, Cauteria emissaria; vel etiam simpliciter Emissaria vocantur hodie ulcuscula arte facta in aliquà corporis plagà, uti Occipite, Brachijs, Poplitibus, &c. ibidemq. diu, seu etiam perpetuò retenta, eo fine, ut perenni effluxu puris, sive ichoris, emungant pri-

primùm, indeq. exhauriant paulatim purgamenta corporis morbosa; quæ vel retenta, vel aliorsùm aberrantia nocerent œconomiæ sanitatis; Idq. ad imitationem ipsius naturæ; quæ sæpe a gravissimis morbis se se expedit, repellendo illos per metastasim ad quæpiam loca corporis remota, ubi nocere non possint.

2. De cauterijs in genere, & maximè de extemporaneis, tractarunt plures veterum; uti videre est apud Fabrit. ab Aquapend. (1). Nec alium novi, qui universim eadem damnaverit præter Helmontium (2). De ijsdem vero etiam perennib., de quo in præsenti egregiè tractavit Frid. Hoffman. (3): Quos videsis.

3. Quæ cum ita sint, & adhuc dùm vigeat consuetudo inter clinicos, tentandi Emissarium, quoties vexatur aliquis diuturno quopiam morbo, præcedd. Critices Elementorum pretium æstimamus, ingenuè proferre quid nos experti sumus circa hujusmodi praxim.

4. Vidi primo: Podagricos, Arthriticos; verbo, Rheumaticos quosq. post aperta, & ritè fluentia Emissaria, dolorib. tamen podagricis, artriticis, &c. æquè cruciatos, ac ante usum Emissariorum.

5. Vidi secundo: Podagricos, &c. qui ex aperto eminùs Fonticulo, halitùs podagrici in pulmones insultum vitare conati sunt; nec tamen obtinuerunt.

6. Tertio: Vidi plures, ex metu seu præsentis, seu futu-

(1) Op. Chirurg. Par. I cap. I.
(2) Op. Omn. Lugd. 1667 Pag. 236.
(3) Dissert. Select. Decad. II. Dissert. IX.

turæ Thoracis cachexiæ, puta catarrhi, asthmatis, hydropisve, fonticulis munitos; attamen catarrho, asthmate, pectoris hydrope correptos, vexatos, mortuos; non secus ac reliquos, tali præsidio nunquam præmunitos.

7. Quarto: Vidi multos, vulgò Tremulos, ex depravato, quasi dicam, electro animali, a convulsione, stupore, vel etiam simplici inertià in motu musculari præpeditos, post apertos, atq. perennes fonticulos, ijsdem tamen ærumnis divexatos.

8. Quinto: Vidi alios, ex qualib. causà cachecticos, ut puta dolore capitis, oculorum vitijs, anomalis nec non hystericis, hypochondriacisve passionib. perpetim vexatos, nullum tamen a fonticulis auxilium expertos. Imo pœnitentes lævi consilij; eo quod cæteris ærumnis accesserit insignis cruciatus, talium remediorum pedisequus: donec spe frustrati, eosdem obstruxerunt; iterumq. divexante morbo, recluserunt. Et ita porro: vix interim mutatà, sed tantùm variatà ærumnarum fortunà.

9. Hactenùs enarrata exempla vidi in hominib. utriusq. sexus, & cujusvis conditionis, tam ex nostro, quàm aliorum consilio præd. Emissaria tolerantib. Idem fermè expertus videtur cl. Heisterus, dum ait (1) „ Tametsi egomet illud dissimulare nec possim, nec velim, quod in non paucis hominib. frustra excitari Fonticuli soleant „

10. Passim utiq. evenit, sub primis ab inflicto Emissario dieb., exagitatis a novo irritamento nervis, levamen nescio quod, seu mavis, oblivio præteritarum ærumnarum: Quibus placatis nervorum stimulis, denuo reviviscunt ærumnæ priores. 11. Ho-

(1) Chirurg. Parte II. Sect. I. Cap. 19.

11. Horum ratio esse videtur: Quia emunctio materiæ morbosæ, quæ fit per hujusmodi Emissarium, est partim aliena, partim vero minima, habità ratione mali, cujus medelæ intendimus. Plerumq. enim radix primaria ærumnarum harum implicata est in Systemate solidorum; ejusq. fructus censeri possunt, quoties adsunt, vitia fluidorum; quorum emendationem vix sperare licet per modicum irritamentum, quale excitatur per Emissarium.

12. Quin obstet exemplum a naturà mox (n. 1.) allegatum: imo quod morbo graviori per alterum leviorem mederi sæpe soleant & ars, & natura. Primò: Quia natura non nisi rarò molitur metastasim salutarem ad remotas corporis plagas in morbis acutis; ubi elementa morbosa mobilissimum habent ordinem, ac motum: Sed rariùs adhùc, vel nunquam in ærumnis chronicis, ob contrarium, i. e, tenacem elementorum habitum. Secundo: Dum hæc molitur natura, vijs sibi soli notis, nec ab arte facilè imitandis, molitur, segregando portiones quasdam tam solidorum, quàm fluidorum, salutari abscessui idoneas; intactis reliquis: quæ quis ab Emissarijs arte factis frustra promittat.

13. Quocunque modo sit, non est datum neq. naturæ, nec arti adeo exiguo pretio, quale est minutulum Emissarium, redimere fractam diù ante valetudinem. Sic parvæ parulides, phlyctenæ, perniones, aliaq. similia naturæ Emissaria non redimunt homines ab ærumnis, de quibus agitur. Unde cum eadem, vel majora mala expugnare tentat natura victrix per eorum depositionem ad remota quæque loca, non facit per minutulum, sed per amplum de-

cu-

cubitum, vel magnas pustulas ad inguina, labra, fauces, caput, collum, &c. Sic Procopius sævissimam pestem, dudùm per totum Orbem, Constantinopoli vero ad an. Domini 543. maximè furentem graphicè describens (1), postquam enunciavit „ Quod ex ea multi quidem curationis defectu obierunt; alij vero pariter sine eà evaserunt, ... addit, Potissimum salutis præsagium fuerunt ulcera ampla ex Bubonib. pullulantia „

14. Itaq. pleriq. morbi, in quibus suademus Emissaria, plus damni, quàm profectùs afferunt juxta nostra observata. Tales sunt Primo: morbi omnes, ex atonià solidorum, seu inertià, quam vocant, animali progeniti; ideoq. vim vitæ, maximè muscularem, stupefacientes. Secundo: Passiones hystericæ, hypochondriacæ, similesq. aliæ, quocumq. modo anomalæ: Quarum scil. ægritudinum fomes decubitum nescit: idque forsitan; quia summè indigestilis est; nec aliter quàm per Gymnastica præsidia subigi valet: a qua profecto methodo methodus Emissariorum ex diametro discrepat.

15. Siquem ergo profectum in morbis chronicis ex hoc medelæ genere experti sumus, solummodò experti sumus in quibusdam ærumnis Rheumatico-topicis, uti Gonagra. Cephalæa &c. non jam per minuscula consueta Emissaria, sed per ampla cauteria: i. è. consueta vulgo Vessicantia, situ malo proximiori applicata; non perpetua, sed per intervalla, modò anni tempestati, modo vero priori ægri profectui accommodanda.

EXEM-

(1) Apud Freindium Op. Omn. To. III. Histor. medic. ad an. 560..

EXEMPLUM VII.

De indebita abstinentia Ipecacuannæ in morbis Gravidarum, atq. Puerorum.

1. NUllum novi de hoc argumento liberè decernentem præter cl. Astruc, cum ait (1) „ Non abs re videtur, integram Emetici dosim Gravidis mulieribus propinare, ubi morbus hoc remedium postulat .... et sapientes medicos hanc viam sternere absq. timore, ipse cum matris, & infantis levamine expertus sum „.

2. Hinc est quod prægnantes non sint assuetæ hujusmodi medelæ; & quod vulgus clinicorum religiosè caveat se ab eàdem imperandà, ne incurrat censuram temeritatis. Levi tamen, me judice, consilio; uti constat duplici argumento. Primum est, quod nemo inter adultos adeo impune fert vomitum spontaneum, ac prægnantes. Alterum, quod prægnantes eisdem morbis, & adhuc amplius, obnoxiæ sunt, ac reliqui homines: pro quorum tamen nonnullis non datur præstantius auxilium, quàm emeticum, et signatè Ipecacuanna; quibus si accedat legitima experien. adest totum quod quæritur.

3. Antequam istam aggrediamur, animadvertendum, quod nemo, quem sciam, auctorum de Emeticis ex professo tractantium (*), de eorum vi abortivà censuerit. Quo po-

(1) De morb. mulier. Parte II. Lib. III. cap. X. §. 3.

(*) Ut puta Willisius To. II. Tract. De Operat. medicam. Sect. II. cap. I.; Et Libellus inscriptus Boerhavio De Virib. medicam. P. III. cl. II. cap. X. Qui omnium, quos viderim, acriùs expen-

posito, nos etiam, cum ratio id postulabat, imperavimus congruam Ipecacuannæ dosim prægnantib.,idque semper cum levamine tam matris, quàm prolis; eod. planè omine, quo de se ipso effatur Do. Astruc, mox laudatus.

4. Morbi autem, in quib. potissimum consulo Ipecacuannam prægnantib., sunt Sequentes. I. In febrib. Tertianis vernalib. II. in febrib. continuis anomalis, cum ardore sitis, ac sævo dolore capitis; in quib. adest, uti pluries accidit, propensio ad vomitum. III. Sivè in Dysenteria, sive in Tenesmo recentib.; illis maximè in quib. tormina præter podicem extremum, sæviunt etiam versùs ventriculum, adestq. levis quæpiam proclivitas ad vomitum (*). Quippe in horum defectu tutiorem expertus sum pulpam Cassiæ recenter tractam.

5. In

dunt tam vomitûs, quam inde sequentes emeticorum turbas.

Quin obstet Do. Tissot-Avis au Peuple to. 2. tit. Des Purgations „ Vulgò receptæ medicaminis infamiæ, uti videtur, nisus, potius quam proprià Experientia eruditus.

(*) Notum est, Parisiorum incolas frequenter affligi morbo endemico, *Flux de Sang*, i. e. Dysenteria ibid. vocato. Cui ut opitularetur arcanum invexit eod. loci sub fine elapsi ævi Jo. Helvetius ibid. clinicus, Batavi medici filius, sub nomine fucato, Specifici adv. Dysenteriam; adeo clamoso eventu, ut paulo post accersitus a Rege Ludov. XIV. ut coràm Do. d' Aquin Archiatro arcanum suum revelaret, sistit Radicem Brasiliensem, nomine Ipekakuana: Quam medica Facultas, ad hæc deputata, invenit adeo validam adv Dysenteriam, ut præmio 24. mille argenteorum (Livres de France) donatus fuerit a Rege auctor Helvetius. Ita Do. Vigneul de Marveille Melange d'Hiſtoire, &c. To. I. pag. 38. seqq. Interea primus tanti medicaminis inventor non fuit Helvetius. De eod. pro eod. morbo meminit ante ipsum Gull. Pison Histor. natural. & medica utriusq. Indiæ. Lib. II. cap. 12. De Dysenteria.

5. In his casib. propino passim Ipecacuannam prægnantib.; tali semper eventu, quem optaret quivis in non Gravidis. Scil. nullam novi, quæ post assumptum tali modo emeticum, aut abortum passa sit, aut aliud incommodum, emetico imputandum: Novi contra non paucas, post abstinentiam ejusdem in præd. casibus, tali infortunio subjectas.

6. Contra hæccine luculenta observata non obstant funesta exempla aliarum commotionum, quib. temerantur quandoque mulieres gravidæ: qualia sunt I. Longum iter pedestre. 2. Coreæ. 3. Pharmaca, sive Acria, sive Amara insolita, de quib. Hippoc. (1), & alij passim: hinc enim videmus quandoque adversos casus; illinc vero nequaquam. Quid quod ex vomitu gravidarum sæpius enormi, licèt spontaneo (quod parùm refert pro concussione seu viscerum, seu artuum), vix unquam periclitantur fœtus? contra: ex diarrhæà diuturnà passim: nihilominùs blanda cathartica permittuntur gravidis a Clinicis prudentib.: potius igitur Ipecacuanna: illa siquidèm deorsùm urgent uterum pragnantem: hæccine contra sursùm.

7. Conclusio brevis. Quidquid sit de Pharmacis vulgò famatis, tanquàm abortivis, hoc certum videtur in hodiernà Nosologia: Quod præter ictus externos, præcipitem gressum, casumque, nullum facilè excogitari potest medicamen efficaciter Abortivum, quin simùl sit enormiter lædens incolumitatem ipsius Prægnantis. Quod serio animadvertendum pro cavendis, modò inanib. Ardelionum, modò vero funestis hominum scelestûm pro-

(1) De natura Pueri cap. 2.: De morb. mulier. Lib. I. cap. 26. &c.

promissis. Igitur viceversà: Quoties Ipecacuanna vindicat Prægnantem a gravi quapiam ærumnà, factum est eidem Pharmacum Antiabortivum: ut patet.

8. Jam vero eximia emolumenta hujus medicaminis, quæ nos observavimus in Parvulis, portentum fermè sapiunt. Ante quorum recensionem animadvertendum, quod jam pridem querebatur Mag. Sydenhamus (1) de suo Croco metallorum, quo unicè utebatur pro emetico (ut pote Ipecacuannà, aduc ignotà, orbatus), tanquàm de remedio infido: protestando „ Desiderari tutum Emeticum pro Infantib., eodem sæpe indigentibus „

9. Post inventam vero Ipecacuannam prudentes clinici promiscue commendant ejusdem usum tam in pueris, quàm in adultis: idque maximè post exquisita tentamina instituta a Do. Samuele Pye (2) pro tutissimo, simulq. congruo Ipecacuannæ usu per singulas ætates, incipiendo a recèns natis infantibus.

10. Nihilominùs, communiter loquendo, circumspectè nimiùm agitur adhuc a Clinicis cum hoc præsidio in morbis Puerorum. Sive id sit ob defectum Experientiæ ingentis ejusdem emolumenti; sive ob morositatem eorundem puerorum in hauriendis quibusvis Pharmacis: sivè tandem ob murmura Parentum, ne lædantur tenella viscera infantum ab energià Emeticorum; eisque morem gerere malunt præscribendo remediolum quodpiam, usu receptum; uti Syrupum de Rhab., Rotulam Catharticam, Anthelminthicamve, aliasq. similes quisquilias;

(1) Op. omn. Sect. I. cap. 4.
(2) Medical Observat. and Inquiries vol. I.

lias; indulgentià certè inani; uti constabit ex seqq.

11. Scilicèt nos imperamus Ipecacuannam omnium ætatum pueris, incipiendo a recens natis, temperando dosim a pauculis granis ad plura, pro ratione ætatis, jubendo superbibere aquam tepidam copiosam per intervalla, cum a progressà rejectione, tum ab angore superveniente, dirigenda. Quod facimus I. In principijs cujuscumque morbi interni, sive continui, sive periodici, sive gravis, sive non: exceptà tantummodo Pleuritide manifestà. II. In omnibus torminib. recentibus. Verbo: in quibusvis ærumnis, ubi deest manifesta, emetico repugnans causa.

12. III. Omnium præcipuè utimur Ipecacuannà in omni ferme insultu, quorum recensio habetur apud Mag. Boerhav. aphor. 1364. Scil. „ In nauseis; vomitib.; alvi fluoribus; animi deliquijs; pulsib. exilibus, deficientib., intermittentib.; pruritu narium; insultib. epilepticis „ Quæ Symptomata mag. Vir gratis tribuit vermibus, & gratiùs adhuc corrigere prætendit exquisitissimis Anthelminthicis; ut alibi fusiùs demonstrabitur. Quibus adde Asthma Convulsivum, non infrequentem in pueris morbum.

13. In omnib., inquam, prædictis casib., in populatà civium frequentià passim mihi occurrentib., plurib. ab hinc annis impero Ipecacuannam Parvulis cum eventu sequenti. I. In eorum nullo observavi ullum detrimentum neq. præsentis neq. in futurum expectatæ Salutis. II. In omnib., nemine quod meminerim excepto, observavi aliqualem profectum. III. Jam vero profectum istum, portenti ad instar fidem superantem, vidi in plurib. centenis

ca-

casib., ex laud.Boerhav. nuper recensitis: Ubi Pueri cujusvis ætatis, sive aliquo tantùm, sive plurib. simul ex ibid. recensitis insultib. correpti; imo facie prorsùs Hippocraticà penè deplorati, vel protinùs ab assumpto, & ritè functo laud. Emetico, pristinæ valetudini restituti sunt (quod ut plurimùm contigit); aut etiam paucos post dies: vel saltem spe diutiùs vitam adhuc traxerunt; & postea obierunt.

14. Quare autem hæc ita eveniant, ratio duplex esse videtur: Prima: Insignis favor naturæ Puerorum, rejiciendi vomitu quæcumq. vel copià, vel qualitate stomachum gravant; uti evenit cum lacte in Infantib. Secunda: Quia Parvuli præ adultis, morbosis ærumnis, a Cacochylia, quam vocant, Gastricà provenientib., ac proinde a solo Emetico facillimè corripiendis, sunt maximè obnoxij. Quæ ipsa progerminant ex duplici alio capite, i. e. tam ab eximià voracitate, quam ab insigni laxitate compagis, huic ætati præ alià peculiaribus.

EXEMPLUM VIII.

De Valerianà, atq. Cicutà quædam Experimenta.

1. AD hæc firmiora reddenda meminisse oportet quod monitum est ad Elem. Critic. n. 42. scil. Legitimè satis explorari a viris prudentibus, cæteroquin sanis, prætensas insignorum medicamentorum vires; ut inde vel eædem confirmentur; vel melior adhuc ejsdem utendi me-

thodus detegatur; vel tandèm fucus ostendatur. Quocirca prælusionis loco enarrare juvat quod nobis contigit abusq. tyrocinio medico, cum audiebamus institutiones rei herbariæ sub doctiss. Præceptore ad amplum urbis hortum Botanicum. Incidit statà lectione, quod fieret ostensio Plantæ, vulgò *Toxico dendron*, a Linnæo verò *Rhus* appellatæ: De qua traditur a varijs AA. „ Quod incautè tractata inducit lurida cute tenùs stigmata, aliaq. damna „ Miratus tantam infamiam, adij plantam, ramum frondosum manib. arripui, attrivi, ore sumpsi, masticavi, succumq. non ingratum deglutivi: At ne minimum inde motum persensi. Similia tentamina in varijs alijs plantis, fossilib., animalibusq. in posterùm feci, quæ utpote aut levia, aut ab alijs pariter tentata non sunt hujus loci. Sit itaq.

2. Primum Experimentum a nobis institutum. De viribus Radicis Valerianæ Silvestris: Cujus celebritatem è cineribus suscitavit Do. Tissot (1), adversùs Epilepsiæ morbum, ex inventore Fabio Columna (2). Re autem verà quid sibi velit hæccine planta, paucis accipe. Paravi laudatiss. ejus extractum cum omnibus cautelis, a Do. Tissot requisitis in copia quatuor circitèr unciarum. Devoravi totum hoc extractum quatuor matutinis, alternè interpositis, sub finem Junij, & initium Julij anni Domini 1779. stomacho pluribus horis ante, ac postea jejuno; cor-

(1) Tract. de Epileps. artic. XXV.

(2) Præfat. ad Phytobasan. edit. Neapolit. 1592.. Ubi tantùm in genere laudatur pro emendandà debilitate nervorum.

corporis temperie valdè irritabili ; attamen mente tranquillà.

Devoravi, inquam: copià mane singulo eà ratione partità, ut quarto, & ultimo duas circiter simul uncias insumpserim: Dosim videlicèt deciès saltem excedentem illam a Do. Tissot laudatam. Quo omine putas? Nullo certè memorià digno: maximè in dosi parvà, puta Semunciæ, in priorib. tentaminibus haustà. Nequidem in extremà, & maximà; modicam si excipias, nauseam, modò plus, modò minùs molestam, ac protinùs assumpto consueto prandio, evanescentem.

3. Quid inde, inquies? Respondeo Extractum Valerianæ nullatenùs videri nervis amicum. Quippe quod in parvà dosi, puta unius, & ad sum. duarum drachmarum, ab auctore propositâ, nihil habet amplius, quàm alia radix cujusvis plantæ, v. gr. Altheæ: in dosi autem exorbitante, a me forsitàn uno tentatum, videtur potius nervis inimicum: excitat enim Ventriculi nauseam: quod idem longè abest a relevandis Epilepticorum miserijs.

4. Hæc autem leviora; quanquàm satis probata. Gravius mehercule est, quod nullum hactenus novi Epilepticum chronicum, qui post negotiosam quamvis remediorum machinam non evaserit miserabilior, quàm anteà fuerat: Cum contra noverim plures, victu salubri, corporis motu, & abstinentià omnium remediorum, optimè servatos. Neq. id novum: jam etenim ab ævo Julij Cæsaris, referente Plutarcho in ejus vità, heros ille debellavit Epilepsiam, cui erat obnoxius, impigro labore, ac rigidà institutione vitæ. Quare integer Epilepsiæ tractatus,

pro

pro quà debellandà tanta commenti sunt graviss. AA., hoc brevi sermone continetur „ Est morbus ignotæ indolis, salvà tantùm sonticà irritabilitate musculorum ; unicèq. ex Legit. Experientià notum est, maximum ejus præsidium esse Regimen vitæ, atq. Gymnasticum, simul cum abstinentia omnium negotiosorum remediorum „

5. Alterum Experimentum de Cicuta (*). Hic proferimus quæ acta sunt a nobis de Cicutà Storckianà; ita dicta, quia Do. Ant. Storck Cel. Archiater Cæsareus exactè admodum describit primum hujus plantæ laudatiss. speciem, vulgò Cicùtam majorem; indeq. mirum in modum extollit ejusdem vires adversùm pessimos quosq. morbos; uti videre est in ejus libello, imo libellis huic argumento dicatis. Nequa autem supersit rima cavillis, referam exactè quæcunquæ expertus sum egomet de Cicutà.

6. Vertente Junio 1790. paravi Extractum laud. Cicutæ, quam colligi curavi in vertice montis ad meridiem vergentis, cum omnib. cautelis, a Do. Storck requisitis, in quantitate aliquot unciarum. Uti erat recentissimum die 19. præd. mensis valdè mane, septem circitèr horas ante, ac totidem post assumptum consuetum cibum, devoravi drachmam circitèr (ad quam unicà vice propinandam nunquam pervenit, ni fallor, Do. Storck) laud. Extracti puri puti, seu absq. ullo vehiculo intermixto, nec simul, nec postea; ut sic energia medicaminis sincerior resul-

(*) Nota est vulgò de hac plantà Venenosæ ejusdem indolis infamia; inde maximè, ni fallor, tracta, quod omnes Bestiæ abhorrent ab eà.

sultaret. Easdemque cautelas in seqq. experimentis religiosè observavi.

Duabus transactis horis, cum nihil perciperem novi, deglutivi aliam drachmam; Inde tamen æquè nihil novi animadverti in ullâ consuetà vitæ functione.

7. Biduo postea, i.e. die 21. ejusd. mensis, eàdem hora, ijsdemq. cautelis devoravi simùl septem circitèr drachmas, audacià fortassis unicà; tanta mihi erat indagandæ veritatis cura. Post unam prope, ac dimidiam assumpti medicaminis horam, turbari primum aliquantispèr caput, inde visum, tandemq. incessum animadverti. Paulò post nutare adhuc amplius caput, oculos, genua percipiebam. Tandemque accessit insignis debilitas, atque vertigo genuum, capitis, & oculorum. Interea lethargi, aut veternosi nihil: omnia vertiginosa tantum, seu quasi Apoplexiæ præludia parebant: nausea nulla erat: mentis acies integra erat: ægros pro more tum baculo, cum sedili innixus invisebam, tractabam.

In his turbis transactæ sunt circitèr horæ tres; post quod temporis spatium evanuerunt: nullo nec in pulmonib., nec in ventriculo, aut intestinis, nec ad articulos inflicto sensibili damno.

8. Quoniam vero hæc omnia improviso casu contigisse prudens quisq. suspicari poterat, instituere placuit nova tentamina. Paravi propterea novum Extractum sub finem seq. Julij, servaviq. loco idoneo usq. ad 24. seq. Septembris. Quo die valdè mane, ijsdemq. sup. enarratis cautelis, devoravi simùl decem circitèr drachmas laud. Extracti: posteà exivi domo, obeundo ex more visen-

sendorum ægrorum muneri. Ad 40. circitèr ab hausto Pharmaco horæ minuta, mox enarratas turbas sensim ingruere pe rcepi : Nimirùm, caligare oculos, caput vertigine obrui, genua, pedesq. nutare. Ita ut horà unà, ac dimidià post haustum Pharmacum, si vellem tutò incedere, palpare proximos parietes cogerer, ob caligantes oculos, atq. labantia genua ; prorsus adinstar temulenti : Mente tamen, ac loquelà omninò compos eram. In his pariter turbis transactum est ferme trihorium : Post quod subacta videbatur Pharmaci virulentia : residuo tamen adhuc post multas horas aliquali stomachi fastidio, & insigni animi mœrore ; imo sub vesperam parvo urinæ ardore: Quæ eadem in præced. tentamine, licet obscurius, accidisse suspicabar.

9. Hæc satis videbantur : nihilominùs tentare perrexi, licèt mutatà vice. Scil. triduo postea, seu die 27. ejusd. mensis, eàd. horà, ijsdemq. cautelis, hausi drachmas quatuor laud. extracti. Inde tamen nullas turbas, nec aliud quidquam novi percipere potui in consuetis functionib. vitæ, præter mox indicatum animi mœrorem, ventriculi fastidium, & urinæ pruritum ; etsi leviora, quàm in præced. Experimento.

10. Quæ cum ita sint, fateor, me nescire, quam præbeant Auxilij spem in debellandis pessimis morbis paucula grana hujus medicaminis a Do. Storck laudata (*), ad plu-

(*) Henric. Ioseph Collin in suo Anno Medico, atq. observationib. Storckio adjectis To. II. enixè prosecutus est eandem Cicutæ viam ; confirmavitq. unius, & 40. morborum historijs : In harum nonnullis aucta quidem est Cicutæ dosis : verùm non ideo minùs ac

plures menses quandoq. protracta; atq. tum ex se se, cum ex aliorum consortio efœtissima reddita. Interea totus est laud. A. in cohortando clinicos „ Ut mordicus repetitis de cicutà Experimentis, inveniant ampliùs adhuc quantæ sint ejusd. vires adversùm morbos „ Unus ego satisfeci tanti viri votis, & inveni; Has vires esse nullas; saltem bonas: quinimo malas: opprimunt enim; non vero excitant, uti oportebat, vim vitæ.

11. Quo modò autem eludantur tot curationum ostenta, qualia profert L. A. in suis de Cicutà Commentarijs, ad Præjacta Elem. Crit. Exper. medicæ factum est satis. Sicuti satisfactum est ibid. de multis similib. ostentis, quæ in prægressis ætatib. allegabantur adv. eosdem, vel similes morbos. Hæc autem a me allata sunto; non ut aliorum laborum censuram habeam; sed ne in posterùm infidis occupati medicæ artis documentis, animum ad meliora vertere negligamus.

Finis Exemplorum.

reliquæ videntur mihi subdolæ: ex eo capite, quod Cicutæ auxilium uullibi prostat expletum sine subsidio aliorum. Vid. Elem. Critic. n. 37.

PARS III.

DE TRIBUS MEDICORUM PRÆSTIGIIS.

Prologus.

QUàm longè progredi possit hum. mentis infirmitas in fallendo sese, & alios, manifestè patet ex trib. argumentis seqq.

Nihil audaciùs in arte medicà, quàm statuere dies, atq. momenta morborum motibus; & tamen id auctorem habuit Hippocratem, & plures in posterùm patronos.

Nihil magis iniquum, quàm criminari vermes, seu Lumbricos ut causam vulgarium morborum, maximè infantum; quia nempè hi erumpunt susque deque in morbis popularibus: & tamen criminatio isthæc plures adducit testes, duce Boerhavio.

Nihil antiquius in omni ferè pago cujusvis regionis, quàm consuescere plures sodales cum eodem Phthysico; Phthysi tamen corripi pro uno sodali plures longe positos. Nihilo minùs morbus Phthysicus accusandus fuerat de Contagio.

Pro quibus diluendis, sit

Primum Medicorum Præstigium Dies Critici Hippocratis.

Tædiosum, fateor, & a longo Asclepiadis ævo malè mulctatum, recoquimus paradoxum; sed quoniam plures, nostris etiàm diebus, in arte Proceres idem tuentur, operæ pretium duximus fallaciam ejus invictis demonstrare argumentis, ut inani posthàc promiscui vulgus cavillationi obstruatur aditus.

§. I. *Pralibanda.*

Num. 1. Dari dies, & momenta Critica in omnibus phænomenis corporum sublunarium, nulla est quæstio: Seligere autem dies, & horas perturbationibus, atq. solutionibus morborum corporis hum., nemo ausus est præter Hippocratem. Quare, cum experiamur, omnia ferè nutare in rebus humanis, & signatè in morbis, videbatur mihi, in recenti Nosologià, ut puta a Sydenhamo in posterum, absq. damno artis salutaris, amandari posse ad Kalendas, ut ajunt, Græcas præd. Dogma Hippocraticum: neq. in eo, parvi aliàs (utiq. si vera esset doctrina in quæstione) laboris studio, tutò requiescere nos posse pro capiendis veris morborum crisibus; sed in alio multò magis arduo; quale opus est pro interpretandà naturà oppidò diversà ipsarum crisium: De quo prostant sparsim jacta optima præcepta apud eundem Hippocratem,

quin

quin ab hoc consilio absterruerit nos Centaurus Baglivianus (*).

2. Dum hæc mente agitarem, ecce famà doctrinæ, atq. criticès medicæ adeò laudandus Baro de W. Swieten, proferens sententiam suam per seq. processum, qui habetur Comment. ejusdem in Boerhav. §.587. versùs medium „ Disputatum fuit sæpius: an illa, quæ de morborum crisibus tradiderunt veteres, sic observentur, reverà obtinere in morbis, qui hoc tempore occurrunt. Sic Hollerius (Comment. in Coac. Hipp. pag. 398.) dixit, apud nos rariùs incidere repentina illa, & perturbationis plena judicia, quas Κρίσεις propriè appellant: sæpiùs autèm exsolvi morbos; alternantibus coctione, & excretionibus. Illudque fieri credidit cœli nostri naturà, vità intemperatà, &c. vel etiam, quia medici naturam datis Pharmacis, & sectà venà sæpius levant... Fateri interim debemus (pergit idem Baro), non semper in morborum decursu observando a medicis adhiberi illam diligentiam, quæ in veterum medicorum monumentis invenimus... In morbis, in primis acutis, curandis solebam, diffidens memoriæ, coram ægris notare illa, quæ in toto morbi decursu singulis diebus observabam... Dum verò posteà Hippocratis, & Galeni dogmata conferrem cum illis, quæ sic in morbis observaveram,

(*) Hoc nomine insignivit Do. Baglivi declamationem adversùm detrectatores Hippocratici dogmatis; quæ prostat Op. omn. Lib. II. cap. 12. Quæ tamen non tangit nos, utpotè minimè negantes motus Criticos in morbis, sed tantum dies, ijsdem Hippoc. destinatos.

ram, summà cum animi oblectatione vidi, verissima esse, quæ dixerant,, Et cætera, quæ videsis ibidem.

3. Quæ cum legissem, & alia ibidem respersa, quibus exprobratur negligentia, vel etiam fastidium Recentiorum in observando dies criticos in morbis juxta normam a veteribus traditam, toto pectore incubui, ut hanc exprobrationem, quoad fieri posset, vitarem, exactissimam capiens rationem singulorum phænomenωv, quæ singulis ægris, quorum opportunissima erat mihi copia, in dies, imò & in horas contigebant. Ex quo tamen improbo labore diversa longè auspicia nactus sum ab illis, quæ de se narrat Illmus Commentator; ut videre est in sequentibus. Pro quo

4. Animadvertendum I. Crisis, seu Judicatio in morbis nihil est aliud nisi revolutio talis motuum in corpore ægrotantis contingentium, ut indè prior totius morbi conspectus mutetur in alium; seu quod in idem reddit, Effectus quidam sensibilis modò naturæ; modò etiam morbi, in conflictu prævalentis. Quanquam reverà in idiomate Hippocratis crises non tam sint effectus ipsi, sed potiùs signa præsaga effectuum a præd. conflictu in posterùm succedentium. Quidquid sit, quotiès pro naturà stat victoria, vocatur secunda, seu propitia crisis; si autem pro morbo, Funesta, seu adversa: tempus deniq. seu mavis Dies, in quibus hæc contingunt, vocantur critici, seu decretorij.

5. II. Usus præfati idiomatis tàm in ore Hippocratis, quàm ejusdem commentatorum, locum habet tantummodò in morbis vulgò acutis, utputa febribus Ardentibus,

Pu-

Putridis, Inflammatorijs, &c. in sensu saltèm receptiori. Cur autem, ut hoc obitèr moneam, hi morbi præ alijs tali gaudeant prærogativà, divinare non ausim: cum reverà plures alij adsint morbi, cùm febriles; tùm secùs, uti Vulnera, Erysipelata, Tumores Phlegmonodes, &c. qui inter consummandum uniuscujusque curriculum, easdem experiuntur turbas, ac morbi acuti, alijs diebus præ alijs modò leviores, modò vero severiores.

6. III. Prætermissis varijs emendationibus, quibus tàm ipsemet Hippocrates, quàm ejusdem commentatores verosimilius reddere conati sunt hoc paradoxum, quas videsis apud eosdem, vel, si mavis, illustratas, clarioresq. reddítas apud w. Swietten (1); res tota clauditur his duobus capitibus. Primum: morbi incipientes se se moveri in Diebus Paribus, judicantur paritèr diebus paribus seq. ordine: 4.6.8.10.14.28. 30.48.60. 80. 100. (Epidemicor. I.): Secundum: morbi incipientes se moveri diebus imparibus, ejsdem pariter imparibus judicantur, hoc alterno dierum ordine servato: 3. 5.7.9. 11. 17. 21.27. 31. Circuituum verò diebus imparibus judicantium primus est tertius &c. (ibidem). Qamquàm hæc ultima numeratio invenitur non parùm alterata aphor. 26. Sect. IV., ubi servatur hæc alia, 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 20. 27. 34.

7. IV. Apud Hippocratem maxima habetur ratio, seu magna tribuitur potestas diebus quaternarijs, & septenarijs cujusvis morbi (aphor. 24. Sect. II.): insigni licet in idipsum adhibità supputandi licentià; uti videre est

(1) Comment. §. 741.

est ibidèm. V. denique Hippocr. in ea fuit sententia, quod præter dies criticos alij etiam præcedant in morbis, Indicis nomine ab ipsomet vocati: Hi autem sunt Quarti, seu mavis Tertij quique (adeo variat numeratio Hippocratis), dies Decretorios de quibus suprà, proximè præcedentes: quorum proindè munus est præsagire, Qualis futurus sit proximus Dies Criticus.

8. His præmissis, quæritur seriò, an inter morbos acutos, & eorum Crises interveniat lex Hippocratica, seu mensura temporis numeris præcentibus exposita? Ità ut lucta eadem, quæ primo morbi, puta impari, die incœpta, jam jam dirimenda erat die v. gr. 9.; nec tamen fuit dirempta, denuò reviviscat per biduum, ut dirimatur die 11.; si verò hunc etiam transiliat non decisum certamen, natura, & morbus congrediantur iterùm, & substineant conflictum, non ampliùs per duos, uti hactenùs, sed per tres alios, vel etiam sex dies; & sic deinceps. Ita sanè docuit Hippocrates; eidemq. subscripserunt multi propugnatores. Ego verò pace tantorum virorum, in re omnium sensibus satis obviâ, malo, uti decet ingenuum Clinicum, litare rationi ab ejsdem sensibus haustæ, quàm eorumdem Manibus.

Quidquid autem sensus percipiunt in quæsità doctrinà, clauditur in seq. generali Theoremate „ Natura hominis in excitando, atq. componendo morborum acutorum motus, vulgò Crisim, utitur ænigmate, ut ita dicam, seu lege a nullo hominum, nullove titulo coarctabili ad hunc præ alio singillatim diem„ Quod demonstratur per seqq.

§. II.

§. II. *Momenta, quibus aperté confutatur Dogma Hippocraticum.*

9. Hæc sunt duo, Experientia, & criterium rationis. Quippè quod attinet auctoritatem, valdè piget nos, quod in re omnium sensibus pervià, qualis eſt præsens, vigeat adhùc inter Clinicos Logomachia, seu verborum dissensio; perinde àc foret aliqua metaphysica controversia. Undè maximè dolendum, graviſſima cæterùm medicæ facultatis capita adeo inflexa fuisse ante hoc Hippocratis simulacrum, ut mordicùs contenderint substinere cuncta ejusdem, egregij aliàs medicinæ Parentis, Dogmata. Ex quo non mirum, si clinici gregarij idem Fanum religiosè coluerint, ne, secùs faciendo, subirent censuram audaciæ, vel etiam Schismatis. Probrose tamen utriq. si dijs placet: Etenim ars medica, ut centiès repetam, non novit alia simulacra, neu colit aliud Fanum, præter Experientiam, critico rationis circumvallatam.

10. Nihilominùs in gratiam eorum, qui cupiunt videre præsentem impugnationem, etiam auctoritate ornatam, producere hic juvat duos, graves admodùm, utriusq. ætatis testes; alterum scilicet veterem Corn. Celsum: alterum vero recentissimum, videlicèt celeberrimum Feijoo, natione Hispanum, qui Dissertatione huic argumento dicatà (1), ingenti, uti assolet, eruditione, lucentèr ostendit fallaciam præd. Dogmatis. Quod attinet Corn. Celsum, eandem controversiam uno veluti haustu di-

(1) Teatro Critico universal, &c. To. II. Diſcurſo X.

diluit, dicens (1) „ Id (dogma Hippocr.) Asclepiades jure ut vanum repudiavit, neq. in ullo die, quia Par, Imparve esset, ægris vel majus, vel minùs periculum esse dixit: Interdùm enim pejores dies Pares fiunt .... Non nunquam etiam in ipso morbo dierum ratio mutatur; fitque gravior qui remissior esse consueverat ... Est etiam apud Hippocratem, ei quem Septimus dies liberaturus sit, Quartum esse gravissimum ... Adeo apparet, quacumq. ratione ad numerum respexerimus, nihil rationis sub illo quidem auctore reperiri. Verùm in is quidèm antiquos, tùnc celebres admodùm, Pythagorici numeri fefellerunt „ Hactenùs Celsus. Si autèm quæras, itanè res habeat? Resp. Ita prorsùs ad unguem, uti ex dicendis evictum manebit.

11. Scilicèt Experimenta fidelissimè capta constantèr evincunt, Nullam mensuram signati temporis præferre naturam in morbis acutis, prælatione nobis notà, sicuti neu quoad primam invasionem, neu quoad extremam solutionem eorum, ita neq. quoad revolutionem mediam, seu Crisim Hippocraticam. Novi porrò de hac eadem Experientià gloriari sese dierum Hippocraticorum propugnatores. At præpostero meherculè omine. Ephemerides num. 12 morborum, ad calcem hujus Opusculi exaratæ, sunt argumenta totidem, quovis expertia dolo; utpote & serie temporis, & casu contingentiæ, ipsius eventus potius, quàm manùs exarantis studio ordinata. In hoc autem processu, cujus simillimos quivis partium studio exutus, quovis tempore, & loco observare poterit, variè conspi-

 ciun-

(1) Op. Omn. Lib. III. cap. 4.

ciuntur confligere inter se natura, & morbus, victriciq. vicissìm alterì parti alteram dedere manus; modò in hac die, seu diei parte, modô verò in alià: nullo uspiàm aliùs constantiæ nobis exhibito argumento, præter ludendi, uti mos est naturæ.

12. Ibidèm paritèr habetur historia, seu casus unicus, scil., VIII. extrà album morborum acutorum, de quib. speciatim agimus productus; atrox videlicèt vulnus, seu percussio capitis; ubi notanda improvisa revolutio morbi, contingens sub eadem præcisè horà diei sexti, seu mavis noctis, ab inflicto malo. Idq. contra dictamen Hippocratis plurib. in locis; & signatè coac. prænot. tit. De pertusionibus capitis: nec non De officio medici, ubi tit. De vulneribus capitis, septimum statuit diem ominosum hujusmodi ærumnis. Quinimò, ut utar armis, seu exemplis ab ipsomet Hippocrate mutuatis, inter innumeras fe-rè morborum historias in Libris Epidemior. & alibi passim, ab eodem nobis traditas; vix unus, aut alter morbus servat ad amussim legem Crisium Hippocraticarum; uti easdem sedulò percurrenti constabit.

13. Neque pro evadendis scopulis, Hippocr. Dogma undiq. circumdantibus, sufficit dicere cum Hollerio ut sup. n. 2., Georg. Baglivi (1), & alij, Græciæ Climatis favorem, atq. methodum medendi Hippocraticam, seu re mediorum parsimoniam, qua ægri tractabantur olim, esse veram causam, quare non eveniant eadem in nostro Climate, & post nostram medendi methodum; Nihil, inquam, cum his effugijs proficitur. Non primo: Quoniam

(1) Prax. medicæ Lib. I, cap. ultimo.

niam Ausonius aer ijsdèm injurijs subjacuit semper, & adhuc subjacet, ac reliquæ, saltèm ejusdem Paralleli regiones, uti constat ex testibus ibidem itinerantib. ut puta Do. Spon Voyag. en Levant, &c. Non item secundo: Neq. enim parciori remediorum molimine tractabat olim Hippocrates ægros suos, quàm tractati sint ægri 12. in processu diario ad calcem videndi: Ex eo maximè, quod ibidem prostant nonnulli ad pristinam sanitatem restituti absq. ullà penitùs remediorum officinalium jacturà.

14. His præoccupatis, aliud restat occupandum effugium, desumptum videlicèt a summà difficultate figendi mentem Hippocratis circa initialem morbi diem: Utrùm nempe numeratio, seu supputatio dierum debeat incipi a primà invasione morbi, an verò ab ipso decubitu ægroti, modò citiùs, modò verò tardiùs viribus prostrati? Neq. enim eo cæteris ampliùs proficitur: Quippè quod etiam diebus hisce quo libuerit modò computatis, in progressu numerationis, de qua suprà n. 6., magni restant passim hiatus, quibus implendis idoneus ægerrimè reperietur cuneus: ut puta cum numeratio transferetur a die 14. ad 28.; aut ab 11. ad 17.: in quorum tamen intermedijs diebus ab initio ævi usq. adhùc morbi acuti plures hominum decades, si non desipimus, litavere orco, quàm sunt sydera cælo.

15. Nequid autem dissimulem, hallucinatio adeo speciosa Hippocratis duplici fuit, vel esse potuit occasione protecta. Prima: Quod morbi, etiam acuti, alternis potius quam continuis dieb. plerumq. exacerbantur, adinstar febrium Tertianarum: Contrà non semèl in sesquial-

ternis, more Quartanarum : Adeò tamen fluxo pede in utriusque, ut per subeuns auxilium aliquod opportunum, imo & importunum, sive ab arte, sive a causis circumstantibus, è vestigio mutetur ordo pristinus exacerbationum in alium, vel etiam nullum. Altera occasio sunt status varij, qui accidunt his morbis; non secùs ac Sydenhamus, exactissimus observator, retulit nobis (1), contingere in Variolis, atq. morbi tempora nominavit: Stadia nimirùm conspicua Separationis, atq. Expulsionis pustularum. Simile quiddàm contingit in morbis acutis : Exagitatio nempè, Concoctio, atq. Solutio materiæ morbosæ : Ita tamen ut quodlib. horum stadiorum, & signatè medium, sivè coctionis, non solum perduret quandoq. per plures continuos dies in statu certaminis, seu luctæ; sed & aliàs certamen, quod in primo die videbatur diremptum, erumpat in nervum in altero, vel alijs diebus proximè succedentibus.

16. Jam verò quod attinet Criterium rationis, accipe paucis convulsum Dogma Hippocratis : Fugit nempe humanum captum, adeò subsultim procedere morborum symmetriam, qualitèr statuit Hippocrates. Sive enim intelligatur ejus Doctrina sub hypothesi virium solius naturæ absq. interventu artis sive in concursu naturæ simùl, & auxiliorum, pugnat ubiq. idem cum præsenti œconomià virium animalium. Et quidem in primo casu institui potest argumentum sic : Ex pluribus morbis, in diebus, Imparibus dictis, sese moventibus, malitià tamen, seu noxà unico tantùm gradu sibi invicèm excedentibus, ut pu-

(1) Prax. med. Sect. cap. 2.

puta uncijs tribus, quatuor, quinq. &c. si primus ita subactus est diebus v. gr. octo, ut judicetur die nono; alter verò biduò ampliùs, ut judicetur die undecimo: cur tertij, seu quinq. unciarum subactio transferetur triduùm, nempe usq. in diem quatuordecim? Imò si hoc etiam transiliat stadium, quare durabit conflictus per aliud triduum, vel etiam ampliùs, juxtà varias supputationes sup. traditas? Neq. magis, neq. minùs; & sic porrò. Hic sanè desinit comprehensio physica; & incipit arbitraria, seu mavis, Kabalistica.

17. Si autem procedat Dogma, etiam in hypothesi auxiliorum (tam optimorum, quàm peſſimorum), magis adhuc confunditur sensus communis de viribus corporum sublunarium in genere, nedùm morborum acutorum in specie; ut quisque videt: in quo scilicèt casu præsentem opinionem non Dogma utcumq. sed inflexibile Fatum dicere oporteret: Uti si in validà Pleuritide, quæ sibi soli relicta, lethalem crisim subitura est v. gr. die septimo, larga venæ sectio, maturè celebrata, nè hilum abrumpat prædefinitum Hippocratis Fatum: Vel etiam contrà; si in eodem morbo loco venæ sectionis, perpetim hauriatur cortex Peruvianus, aut violens Catharticum.

18. Nec juvat argumentum febrium Intermittentium, Tertianæ puta, Quartanæ, &c. ubi natura ludere videtur ad Symphonam dierum Hippocratis: moventur quippe febres istæ, quiescunt, excitantur, sopiuntur, iterùmq. reviviscunt alterno quovis, terno, quaterno, &c. die; non secùs ac morbi acuti in diebus Hippocratis: Quam periodum, quocumq. tandem moliatur ars medica, abole-

re

re utiq. poterit, impediendo prorsùs, ne redeat febris; sin autem, eadem erumpet in nervum ad normam crisium Hippocratis. Non juvat, inquam. Primo: Quia febres Intermittentes non moventur ad Symphonam morborum acutorum Hippocratis, i. è. subsultim ut sup. n. 6., sed ordinatim: alioquin omninò superflua foret doctrina de Diebus Criticis: notissima quippè est aliundè doctrina reviviscentiæ febrium hujusmodi; quamvis genuina discriminis inter utrasqe causa æquè lateat omnes. Secundo: Quia Crises, seu Defectiones febrium Intermittentium, sigillatim sumptæ, non sunt completæ, uti in acutis, sed imperfectæ; & non nisi post varias revolutiones Complendæ: De quibus etiam, atq. etiam æquè tradidit optimus Senex Aphor. 59. Sectionis IV., quamquàm æquè gratis, quod „ Febres Tertianæ septem Circuitibus judicantur „

19. Quare nodus hic æquè solvendus est ab omnibus: cur scilicèt febres Intermittentes moveantur ordinatim, seu mavis, etiam subsultim, sed per saltus regulares; Continuæ verò non item? Nisi autumare liceat, hujus discriminis rationem indè petendam esse, quod præcipuus fomes febrium Periodicarum systema Glandularum obsideat; Continuarum contra Nervorum, seu pulpam nervosam, cujus veluti propaginib. referta sunt etiam fluida, ut puta Cruor, &c. Ratio suspicionis est; Quia munus Glandularum intercipi potest aliquantispèr, atq. morari, etiam in sanitate, & absq. damno notabili; quod tamen præstò est, quoties præd. interceptio augetur nimiùm, uti in Salivà, Muco, Urinà, &c. videre est: Fun-

ctio

&tio contra, seu mavis œconomia nervorum, atq. fluidorum presso pede vitalium, nullam patitur impunè moram, puta Digestio alimentorum, Circulatio sanguinis, &c. Unde quotiès adest, & pergit in hujusmodi systemate vitium, morbum etiam perennare, sive continuum fieri necesse est.

§. III. *Conclusio.*

20. Ex Elementis Criticis ad I. P. traditis habetur „ In arte medendi nedùm Experientiam auctoritati cuilibet esse præferendam, verùm, quod ipsamet experimenta rudi quapiam ratione capta, experimentis alijs, rigidiori examine expensis sint postponenda „ Quo posito arguitur sic.

Primo. Galenus, W. Swieten, & alij observarunt in morbis Dies Criticos ad amussim Hippocratis: Nos contra cum plurib. alijs observavimus eosdem ad amussim valdè diversam: Fallit igitùr Doctrina, ex inconcusso argumento, quod lex quæcumq. medica non tenens vel omnib. vel saltèm plerisq. nulli tenet.

Secundo. Summi in arte Viri in interpretatione præd. Dogmatis sunt inter se valdè discordes (*): Idem igitur fallit undique; ex eàdem Lege.

Ter-

(*) Sub Speciosà veritatis larva ita torquet Experientiam hoc Dogma, ut, pro eàdem patrocinatæ opinioni accommodandâ, diversas excogitaverint interpretationes gravissimi AA. Sic præter hactenus laudatos Petr Castelli Cel. Clinicus in opusc. cui tit. *De abusu circa dier. criticorum enumerationem*. Messanæ 1642. contendit, hanc enumerationem exordiendam esse a primà morbi invasione. Contra

Tertio; Ijdem Summi viri, post tot sæculorum tractum in Schola Hippocraticà veterani, interrogati ab adstantib. de futuris motibus criticis morbo acuto laborantis, ænigmaticis verborum ambagibus coguntur uti, ne videlicèt capiantur in sermone; si aliter, uti assolet, evenerint res, ac docuit Hippocrates: Igitur suspecta est illis Doctrina isthæc.

21. Quid ergò, inquies, tantum Dogma post tot sæculorum nomen a Fastis medicis tollendum est? Resp. Nimirùm contingit Paradoxi hujus Patronis idem ferè quod Astrologis ad varios Lunæ Quadrantes varios pariter cœli motus, seu tempestates terrigenis prænuntiantibus. Quoties eædem dieb. etiam reliquis contingunt, effugium est in promptu, transferre, seu tribuere eosdem cœli motus influxui proximioris Quadrantis; Sic turba Ardelionum gaudet semper jure patrocinij errorum. Idem fermè accidit cum doctrinà de diebus Criticis. Si motus morbosi urgeant ex. gra. die octavo, palàm adstruitur, eosdem incœpisse die septimo, i. è. designato Critico: Si autem die decimo, concinnè vertitur, eosdem esse motuum undecimi præludia: Si in quoquam alio, eximià ductilitate transferuntur ad proximiorem diem Hippocraticà potestate donatum. Adeo est cavillatorium dogma istud. Non autem decet, Sapientem Clinicum his atteri, urgentib. meliioribus.

22. Ita-

Cel. de Haen Ratio medendi To. I. Cap. 4., eandem incipi vult a die Decubiti, cui pleriq. tam veterum, quam RR. consentiunt. Utramq. viam prudentior subterfugit Do. Steph. Compostoff Tract. De Crisi, & dieb. Criticis, Florent. 1762., tradendo regulas internoscendi dies Criticos a non Criticis, quandocumque venientes, nequid temerè audeat Clinicus in tractandis morbis. Quos videsis.

22. Itaque si serio in re adeo gravi agere velimus, ad singulares, & varios in singulis morbis materiæ motus interpretandos totum studium nostrum applicare debemus, ne scilicet naturæ cum morbo colluctanti importunum obicem feramus; vel contra opportunam opem ferre negligamus, qui est maximus, & forsitàn unicus Doctrinæ crisium fructus: Cujus exquisitissima documenta tàm ipsemet Hippocrates, quàm prudentissimi quique ejusdem asseclæ nobis tradiderunt: Ut puta sequentia.

I. Dùm morbi incipiunt, si quid videtur movendum, fiat sanè: Dùm verò consistunt, quiescere, seu a remedijs abstinere melius est. Ex Hippoc. aphor. 29. Sect. II.

II. In ancipiti morbo, & casu melius est, naturam quiescere, quàm aliquid frustrà moliri. Ex Bagliv. De sudore in acutis.

III. Per totum cujusvis morbi acuti decursum tria potissimùm procuranda sunt. 1. Vitæ, ejusq. viribus consulere. 2. Acre irritans corrigere. 3. Symptomata mitigare. Boerhav. aphorismo 598.

IV. Præcedentium consectarium. Scil: Quotiès motus in morbis, promiscuè dierum contingentes, apparent orti a naturà victrice, quiescendum: quotiès a morbo victore, opitulandum naturæ.

23. Addimus tandem exempla duodecim morborum ad severissimam veritatem historicam exacta: in quorum singulis motus criticos quosvis, & horà promiscuè contingentes videre est. Quibus standum videtur, donec alius meliora proferat, ad eandem observationum lancem expensa. Neq. enim datur alia via dirimendi putres quæ-

stio-

stiones, sive in hac, sive in aliâ quavis praxi medicâ adhùc vigentes. Quid cui sit præferundum; v. gr. utrùm vetera recentioribus, an contra? præter numeratam Experientiam.

§. IV. *Processus Diarius morborum numero Duodecim Anno Domini* 1780. *fidelitèr expositus.*

Nota. Prior numerus mensis, alter verò morbi diem indicat.

HISTORIA I.

Januarij Decubitus

10. 1. Decumbit vidua ætatis ann. 30. cum Febri acutà, dolore capitis, alvo turbata, &c.

11. 2. Mittitur Sanguis ex brachio.

12. 3. Sequuntur eadem Symptomata, & iterùm mittitur sanguis.

13. 4. Accedit vomituritio.

14. 5. Urinæ rubent, & rubere pergunt etiam ultrà reditam sanitatem.

15. 6. Emeticum propinatum fungitur suo munere.

16. 7. Nihilominus sequuntur eadem.

17. 8. Mador sudoris ad caput: Sistit perdurans, hactenùs ventris fluxus. Reliqua eadem.

18. 9. Idem.
19. 10. Pulsus hactenùs validi exilescunt.
20. 11. Sequuntur eadem.
21. 12. Idem.
22. 13. Cuncta meliora.
23. 14. Idem post noctem permolestam ob Pediculos.
24. 15. Omnia adhùc meliora.
25. 16. Sequuntur eadem.
26. 17. Idem.
27. 18. Placidè sudat:
28. 19. Sequitur sudor, abit Febris.
29. 20. Valet.

NOTA.

Auxilia sive domestica, sive vulgaria, uti potus communis aquæ Fontanæ, Hordei, Graminis, &c. Eunemata ex ijsdem, ex malvà, &c. quæ passim usurpata sunt in his morbis, nec recensuimus; nec in posterùm recensebimus; sed pro opportunitate casuum & adhibita, & recensita supponimus.

II.

Januar. Decub.

11. 1. Virgo 29. annor. decumbit vexata Febri acutà, & catarrho uteri, seu mensibus præter rationem fluentibus: quæ simùl cum artubus dolentibus persistunt usq. ad

16.

16. 6. quo Mittitur Sanguis.
17. 7. Absque levamine.
18. 8. Incipit Vomituritio, cum dolore obtuso ad hypochondrium dextrum.
19. 9. Eadem.
21. 11. Propinato Emetico, augentur turbæ.
22. 12. Meliora cuncta.
23. 13. Turbantur omnia.
24. 14. Idem.
25. 15. Reviviscit Diarrhæa, & sopiuntur turbæ.
26. 16. Idem.
27. 17. Augentur turbæ priores.
28. 18. Idem, Sed pulsus antehàc debiles invalescunt.
29. 19. Mittitur Sanguis: absque levamine.
30. 20. Minuitur Diarrhæa.
31. 21. Sedantur omnia.

Februar.

1. 22. Meliùs adhuc: non obstante Pulsu iterùm depresso.
2. 23. Manè idem: vesperè pejus.
3. 24. Valere incipit, & pergit, licèt pedetentim.

III.

Januar. Decub.

14. I. Puella ætatis an. 13. decumbit cum Febri acu-

acutà, Siti, dolorib. artuum, jactatio-
nibus,&c. adinstàr Putridarum.

27. 13. Post toleratas diebus 12. præd. ægritu-
dines, absq. notabili varietate, Die 13.
augentur priores angustiæ: accedunt
Diarrhæa & Coma Somnolentum.

28. 14. Sequuntur eadem.

29. 15. Idem.

30. 16. Tam Diarrhæa,quàm Sopor minuuntur.

31. 17. Sudor levis per totum.

Februar.

1. 18. Omnia in melius.

2. 19. Febris abit. Valet absque ullà ope me-
dicà.

IV.

Februar. Decub.

6. 1. Adolescens 28. annor. decumbit cum
Febre acutà, comitantib. rigorib., las-
situdine artuum, dolore capitis, &c.
molestà tussi.

7. 2. Manè mittitur Sanguis, Crustà inflam-
matorià tectus. Vesperè exacerbantur
rigor, tussis, atq. Præcordiorum an-
xietas. Accedit mediocris Sudor.

8. 3. Manè sedantur omnia: Vesperè contrà
exacerbantur: accedit Diarrhæa, atq.
Sputum ex tussis violentià cruentum.

9. 4. Idem Mittitur Sanguis manè, & ite-
rùm

rùm vesperè ; uterq. Crustaceus .

10. 5. Sistitur alvus : Sputa sunt maturiora ; & Febris mitior .

11. 6. Post noctem irrequietam, pacantur omnia, i. è . Tussis , Alvus, Excreatio, Febris .

12. 7. Post mitem sudorem, procedunt omnia in melius .

13. 8.

9.

10. Idem .

16. 11. E lecto surgit valens.

V.

Februar. Decub.

14. 1. Puella 12. annor. decumbit cum Febre acutà , dolore capitis , & artuum , tussi .

15. 2. Accedunt Diarrhæa , & vomituritio .

16. 3. Urgent Sitis , Febris , atq. Diarrhæa .

17. 4. Sequuntur eadem .

18. 5. Idem .

19. 6. Augetur dolor capitis ; accedit tormen abdominis .

20. 7. Propinatur Emeticum .

21. 8. Nihilominùs idem .

22. 9. Etiam idem .

23. 10. Pacantur dolor cap. , Diarrhæa , & Tussis .

24. 11. Sequitur pacatio præter tussim.
25. 12. Sequitur ead. pacatio, ademq. tussis.
26. 13. Idem.
27. 14. Sedantur tussis, alvus, dolor capitis, pulsus.
28. 15. Turbantur tussis, & pulsus; & mititur Sanguis ex brachio.
29. 16. Sedantur omnia. Valet.

VI.

Februar. Decub.

18. 1. Nutrix ann. 25. decumbit cum Febri acutà, prævio rigore.
19. 2. Adsunt dolor cap. & artuum, sitis, & tussis.
20. 3. Eadem: accedit Diarrhæa mitis; & vespere rigor febrilis.
21. 4. Idem: mittitur Sanguis.
22. 5. Etiam idem.
23. 6. Cuncta pacantur: incipit sanguinis stillicidium è naribus.
24. 7. Sequuntur mitescere diarrhæa, dolor capitis, stillicidium.
25. 8. Omnia exacerbantur. Mittitur iterum Sanguis: Et Emeticum, paulo post propinatum, fungitur suo munere.
26. 9. Nihilominùs idem.
27. 10. Pacantur diarrhæa, dolor capitis, & febris.

28. 11. Manè idem. Vespere gravantur dolor capitis, & febris.

29. 12. Eadem. Additur vaniloquium.

Martij

1. 13. Sequitur vaniloquium. Diarrhæa, & cephalæa mitescunt.

2. 14. Procedunt omnia.

3. 15.

4 16. Idem.

5. 17. Evanescunt diarrhæa, cephalalgia, vaniloquium.

6. 18.

7. &c. 19. &c. Reviviscit paululùm diarrhæa. Tàm pulsus, quam somnus fiunt pacatiores usque ad 22. decub. die, quo surgit è lecto valens.

VII.

Aprilis Decub.

16. 1. Senex Rusticus annor. 70. catarrho, atq. tussi plures ante dies malè mulctatus, jam verò dolore quodam obtuso ad Thoracem cùm alio punctorio ad calcaneum, & plantam utriusq. pedis, altero invicèm succedentibus, vexatus decumbit. Genæ rubent: Lingua manè arida, vespere secùs: Pulsus interea adinstàr sanorum micant.

17. 2. Dolor pectoris detonat ad pedes: reliqua ut supra. 18.

18. 3. Pectus dolet: lingua arida, sine Siti.
19. 4.
20. 5. Pedes dolent per biduum.
21. 6. Interdiu omnia tranquilla; Sub vesperà turbantur omnia, vigilat, delirat, jactatur undique.
22. 7. Dolent artus, thorax, & pedes.
23. 8. Ope vessicantium mens quidèm irradiat: at expectoratio difficilior fit, & pulsus tardior.
24. 9. Manè quidem ut supra: vespere verò priùs quidem jactatur undiq. indè vero incidit in Lethargum; pulsibus jam primò eximiè incitatis.
25. 10. Manè idem. Vesperè moritur (*).

VIII.

April. Decub.

18. 1. Vir quadragenarius, enormi robore non minùs animi, quàm corporis prædítus, sub quartam horam noctis ad os Bregmatis gravissimè percussus, corruit semianimis.
19. 2. Manè proximo, vulnere ritè curato, ægroque in se reverso, malum videtur aspectu leve.
20. 3. Idem: exceptà nonnullà pulsus pertur-

(*) Binas similes historias, alteram cum pari, alteram verò cum dispari eventu, videsis ap. W. Swiet. Comment. §. 884. num. 5.

batione.

21. 4.
22. 5. Idem.
23. 6. Sub quartam horam noctis æger repentè convellitur, & omnia turbantur.
24. 7. Sequuntur per intervalla tendinum tremores, & artuum jactationes.
25. 8. Vulnus terebrà exploratum, Syderationem ossis minatur. Febris est.
26. 9. Sequuntur eadem mala.
27. 10. Additur febris vehemens, Phlebotomijs, &c.
frustrà coercenda.
28. 11. Idem.
29. 12. omnia pessima.
30. 13. Sub auroram moritur.

IX.

Maij Decub.

15 1. Puer decem annorum decumbit cum Febri acutà, lassitudine spontaneà, &c.
16. 2. Queritur de siti, atque dolore capitis, artuumq.
17. &c. 3. &c. Idem. Et ita porrò usquequo.
22. 8. Exacerbantur omnia.
23. 9. Manè idem: Sub vesperam incipit sudor ad caput, & artus superiores.
24. 10. Sub noctem sudat copiosè per totum, cum

cum levamine.

25. 11. Quiescunt omnia in eodem statu.

26. 12. Amplior adhuc sudor solvit integrè morbum absque ullà ope medicà.

X.

Maij Decub.

16. 1. Senex annor. circitèr 70. ex labore in loco palustri corripitur acutissimò tenesmo, comitantibus febri acutà; pulsu tenso; artubus lassis; alvo parcà, sed frequenti, atq. dolente; æstuante siti; vomituritione, &c.

17. 2. Mittitur Sanguis, &c. sed frustrà.

18. 3. Sequuntur eadem.

19. 4. Hausto leniente Cathartico, alvus reditur indolens, at fluidissima.

20. 5. Idem: addito pulsu vehementiori, eoque irregulari.

21. 6. Manè mittitur Sanguis ex pede, vespere sedantur alvus, & sitis:

22. 7.

23. 8. Sequuntur eadem.

24. 9. Turbatur iterùm alvus. Hypochondrium dextrum dolet parùm.

25. 10. Tàm alvus, quàm spiritus magis, magisquè turbantur.

26. 11. Sequuntur turbæ.

27. 12. Idem. h 2 18.

28. 13. Incipit virium prostratio.
29. 14. augetur
30. 15. Angustiæ undique.
31. 16. Moritur.

XI.

Junij Decub.

16. 1. Puer undecim annorum decumbit cum Febre acutà, artubus lassis, &c.
17. 2. Pulsus vehemens adest, & animi prostratio.
18. 3. Sopor comatosus: reliq. ut sup. mittitur Sanguis.
19. 4. Levantur omnia.
20. 5. Sequitur levamen.
21. 6. Valet.

XII.

Julij Decub.

23. 1. Virgo 14. annor. decumbit Febre Intermitt.
24. &c. 2. &c. Quæ paulatim degenerat in Perniciosam pessimæ constitutionis regnantis, arte medicà perpetuò destitutam.

Augusti

1, &c. 10. &c. Sequuntur Paroxysmi perniciosi.
5. &c. 14. &c. Erumpit Parotis ad aurem sinistram.
10. &c. 19. &c. Parotide ritè apertà, Paroxysmi priores ordine præpostero recurrunt.

12.

12. &c. 21. &c. Erumpit sensim altera Parotis secus alteram aurem.

19. 28. Erumpit tumor cistico-saniosus secùs alteram axillam.

20. &c. 29. &c. Erumpunt in dies alij tumores similes ad varios corp. artus, sanie indiès fluentes.

Qui tumores cum Febre, jam Suppuratorià reddita, per 30. alios circitèr dies tragœdiam alternantes, adeo comessantur ægram, ut 60. circitèr morbi die, penitùs emuncta obierit.

NOTA.

Habita sunt hæc sub Cœlo temperato, etsi vario, uti assolet, Graduum Latitud. 41. 52. Longitud. vero N. N. atque collata cum Ephemeridibus. Thermometricis Thermom. Reaumur; quam tamen collationem pro vitando Lectorum tædiò Consultò hic omisimus.

FINIS.

AL-

ALTERUM MEDICORUM PRÆSTIGIUM OMINOSA HOMINIBUS VERMIUM NATURA.

SECTIO I.

De origine Vermium corporis humani, &c. varia Auctorum placita.

§. I. De Origine, & Fatis Vermium Animalium quid alij senserint?

Num. 1. Vermes adesse varij generis, nedùm in homine, in quo tria præcipua distinguuntur. I. Teretes, vulgò Lumbrici. II. Tortiles, & exiissimi, vulgò Ascarides. III. Lati, & procerrimi, vulgò Teniæ; verùm etiàm in omnibus animantibus, atq. etiam vegetabilibus, norunt omnes, horum generum, atq. specierum consuetudinem habentes.

Attamen quæ est conditio rerum terrigenarum, quarum matricem quasi ex industria occultavit natura parens in fundo terræ, ne quando temerè revelaretur arcanum ortus earum; idem pariter & adhùc ampliùs accidit in origine vermium animalium. Nihilo minus plures Physici, quasi insanabili curiositatis stimulo incitati, velamen scindere conati sunt, quo cautè teguntur similium animalculorum incunabula.

2. De

2. De quibus longum esset hic recensere quidquid tradiderunt veteres, Aristoteles, Galenus, Plinius, &c.: melioribus certè auspicijs pro eodem studio incaluerunt propiùs ad nos grandia plurium virorum ingenia: Quos inter eminent Franc. Redi (1), Eques Ant. Vallisnieri (2), Nicol. Andri (3), Hermann. Boerhav. (4): horumq. collector, atq. illustrator Daniel Clericus (5); & alij plures, eorum sive adiutores, sive asseclæ, quorum singuli pro vario cujusq. ingenio, & artibus, variam pariter inierunt rationem investigandi vermium animalium primordia, sobolemq., commoda, vel incommoda. Quæ paucis delibare hic sufficiet nobis ad majora properantibus.

3. Quod generationem attinet Vermium in animantibus mag. Boerhav. loco cit. autumat, id evenire ex ovulis Insectorum in aere, vel secùs tellurem oberrantibus indeque deglutitis. Idem autumarunt pleriq. Physici elapsi ævi, de hoc argumento tractantes, & inter eos ipsemet Andri loco cit. Quæ tamen opinio summis difficultatibus obnoxia est, ut videre est ibid. apud Cl. commentatorem: Cum talia ovula, in corpus animalis quomodocunq. ingesta, ultra athmosphæræ, atq. temperiei diversitatem, subire debeant

(1) Opusc. Degli Animali viventi negli animali viventi.

(2) Esperienze, ed osservaz. intorno l'origine, &c. Item Nuova scoperta dell'Uova de' Vermi: Padova 1726.

(3) De la Generat. des Vers, Tom. I. cap. 2.

(4) De morbis Infantum aphor. 1360.

(5) Histor. natural. & medica lator. Lumbric. intra hominem, &c. nascentium. Accessit De cæteris hominum vermib. &c. Genevæ 1715.

beant insuperabiles a tenellis ovuli fulcris viscerum animalis attritus. Præterquamquod nemo hactenùs vidit (ut analogià utar, in Physicis hypothesibus seu condendis, seu refutandis, adeò validà) Piscem sub aquis nasci ex ovulis a mari, vel flumine in tellurem projectis, iterumq. subtèr aquas receptis.

4. Redius autumat, animæ motrici reliquarum functionum in animantib. inesse pariter vim generandi vermes, in eorumdem corporib. repertos: eodem, vel simili modo, quo in vegetabilibus, eadem vitalis aura, quæ in plantis fructus producit varios, habet paritèr virtutem generandi omnem varietatem vermium, qui observantur in eisdem fructibus. Quæ sanè opinio coincidit cum Systemate Buffoniano, de quo infrà.

Utrimq. mixta videtur nobis opinio plurium RR. duce Vallisnieri loco cit. dum ait „ quod vermes nascuntur, & propagantur nobiscum, nostriq. succi nutriti sunt hæredes, quocum abripiuntur usq. ad uterum matris gravidæ; ibidemq. deponunt ovula, cuique propria: & ubi simùl cum embryone adolescunt, in progressu ætatis iterùm propagatura, ni præfocentur à validiorib. causis.

Verùm hæc etiam, etsi magno ingenio, & exquisitis in observando artibus adornata, meram conjecturam non superant, ut quisq. videt. Nimirùm aguntur hæc in caliginoso loco; ideo infirmo stant omnia pede.

5. Præter hactenùs relatas vermium Intestinalium Species (*), plures alias vermiculorum, quasi Myrmidonias Co-

(*) Ut sileam exotica vermium monstra, hominibus, brutisque non parùm infesta, qualia sunt Dracunculus, a Leonide vetustiss.

Colonias detexerunt in animantib. novissimis temporibus solertissimi Viri, præeunte Ant. W. Leeuwenhoek (1): i è. Innumera animalcula natantia in omnib. ferè partib. tàm firmis, quàm liquidis eorundem; ut puta Sanguine, Bile, Cerebro, Hæpate, Glandula Thymo, Spermate maris, &c. De quib. tamen, si veritatem non divinare, sed fateri volumus, adhuc non constat, quid sibi velint, quovè fungantur munere: Utrùm scilicet sint rudimenta primitivi animalis, an verò Lumbricorum, aliorumq. vermium ejusdem inquilinorum; vel aliud quidvis? verùm de his satis (**).

§. II.

rhetore memoratus, cujus etiam meminit Aetius, indeq. Rhazes Arabs sub nomine Venæ medinæ (quia nempè adinstàr venarum serpit sub extimà cute); & a Kemphero ad fretum Persicum observatus: De quo Freind in Histor. medic. ad an 600. Cui ferè accedit alius vermiculus incolis insulæ Cuba ad Indiam Occidentalem sub nomine Anguiculi & notus, & infensus. Variaq. alia ad varias mundi plagas insectorum intra hominem & genera, & vitia.

(1) To. I. Contemplat. & Experimenta. Lugd. Batav. 1722.

(**) Parùm hùc refert, quod nonnulli RR. suspicantur, hunc nostrum aerem refertum esse innumeris variorum Insectorum catervis morbiferis; indeq. portendunt hominib. varias calamitates uti Pestes, Morbos epidemicos, &c. Parùm, inquam, refert: quippè quod prudentis medici est, non duci Suspicionib., sed Ratione simùl, & Sensibus, in capiendis morbis, eorumque remedijs. Præterquamquòd sit sane, ut vis, quod omnium morborum causa sint vermiculi sive in aere natantes, sive in corpore latentes; responsio est in promptu; quod etiam remedia horum malorum sint pariter alia Insectula Salutifera, seu morborum antagonistæ, in medicamentis latentia: De quib. perindè remanet inquirendum, quænam sint eligenda.

§. II. *Cui Bono, vel Contra sint vermes in homine, Communis hactenùs opinio.*

6. Uti ergò singulis animalium speciebus, inquit W. Swieten (1), imò & plantarum, certa insectorum species familiaris est, ita suspicabantur (quinam, reticetur), quandam fortè utilitatem vermes corpori afferre; vel talia saltèm consumere in usus suos, quibus facilè carere possumus; sicque nostris impensis quidem, sed absq. noxà vivere. Tunc tantùm nocituros credebant, si numero nimiûm aucti, vel alià quacumq. de causà deficiente pabulo, vicina irritarent, vel roderent... Interim patebit, credo, ex sequentibus, vermes non adeo innoxios esse; licèt negari nequeat, quandoq. copiam vermium prodire de corpore hominum, quos nulla signa docuerant, verminosos esse „ Hactenùs laud. commentator.

7. Quidquid horum sit, malo prorsùs omine existere vermes in homine, senserunt hactenùs plerique Clinici, quibus tota Plebs consentit mordicùs. Idem dogma paucis, sed graphicè, uti assolet, expressum tradidit nobis mag. Boerhavius in quatuor continuis aphor. nimirùm 1364. & tribus sequentibus: Ubi agens de morbis Infantum (in quib. peculiari quodam jure Vermes & existere, & noxios esse autumavit Cl. Vir, adeò strictè, ut nullibi aliàs eorundem meminerit), acerbè admodùm invehit in Vermes; Dicendo nimirùm in primo ex modò citatis aphorismis „ Efficiunt irritatione nauseas; vomitus; alvifluo-

(1) Comment. §. 1360.

fluores; animi deliquia; pulsus exiles, deficientes, intermittentes; pruritus narium; insultus Epilepticos,, In altero „ Efficiunt consumptione chyli esuriem, pallorem, debilitatem, alvum adstrictam, inde tumorem abdominis, ructus borborygmos „ In tertio „ Efficiunt sæpè perforationem ipsorum intestinorum „ Et tandem in quarto „ Undè to-ties Lethales reperti sunt „ Hactenùs tantus Præceptor.

8. Testimonia ad ita criminosum adv. Vermes humanos proferendum processum hausit procul dubio eruditiss. Vir ab ingenti lectione veterum. Quorum pauca in gratiam Lectorum recensebimus.

Primo Itaque Alex. Trallianus plura omnium a se priorum mala ominatus est a vermib. humanis (1): uti tormina; morsus viscerum; dentium fremitus; oris putorem, &c. addens apud Schenckium (2) „ Sæpè observatum esse, vermes ob alimenti inopiam ita intestina lacerasse, ut per cutim ipsam egredi visa sint „ Eadem ferè de ijsdem tradidit Aetius (3). Secundo, Retulerunt quidam, ait Avicenna ap. eundem Schenckium ibid. „ Quod viderint eos (lumbricos) perforasse ventrem, & exivisse ex eo „ Tertio. Ex nostratib. Alex. Benedictus apud eund. Schenck. tradidit „ Quod ex intestinorum, & ventris animalib. plurimi obmutescunt „ Addens exemplum cujusdam puellæ Corneliæ familiæ in Insulà Cretà, quæ octo diebus muta fuit, rigentib. oculis; quam emissis 42. Vermibus, unà

(1) Fabric. Biblioth. Græca To. XII. edit. Hamburg. Epist. ad Theodor. de Lumbricis.

(2) Observat. medicin. Lib. III. observ. CCV.

(3) Serm. IX. cap. 40. ex Interpret. Ignat. Cornari Venetijs 1334.

unà convolutis, liberatam se vidisse testatur, ibid. Quarto „ Vidi Pueros, ait Trincavella (1), qui a vermib. adeo malè affecti sunt, ut Opisthotono, græcè dicto, correpti, retrorsùm adeò convellerentur, ut penè calcaneis caput contingerent „ &c. Qui autem plura desiderat vermium portenta, adeat sup. laud. Andry (2).

9. Interea reticere nolumus memorabilem casum ap. W. Swiet. comment. ad aphor. 1364. ex Do. Heisters Wahrneh mungen pag. 614. relatum, i. è „ Ancilla 33. annor. subitis, & validiss. abdominis dolorib. præcipuè circa ventriculum obnoxia, convellebatur fortitèr, nec ullum verbum proferre poterat, licèt mente, & sensibus valeret: sequebatur tetanus universalis cum palpitatione cordis: mens constabat; dolores ventriculi horrendi manebant: & tertia die perijt. Cum pessima, & anomala symptomata veneni dati suspicionem facerent, apertum fuit Cadaver, & intestino duodeno, atq. cardià, sive sinistro ventriculi orificio inventi fuerunt numerosi vermes teretes, magni, quorum quidam 15. & 16. pollices longi erant. Cardia autem crassa, & sanguinolenta inveniebatur „ Hactenùs cel. commentator: Quib. paulò infrà addit seqq. „ facilè patet, ingentem symptomatum varietatem obtinere posse, prout vermes has, illasve partes irritant, aut rodunt: neque (id) tàntùm ex ipsa læsione partium solà; verùm etiam quatenus inde aliæ partes dissitæ in suis functionib. turbari possunt, uti ex dictis patet „ §. III.

(1) De ratio. curandi, & Lib. IX. cap. 11., seq.
(2) To. II. cap. 3. artic. 3. seqq.

§. III. *Recensentur signa præsentiæ Vermium, ab AA. vulgò tradita; præcipuaq. eorum remedia.*

10. I. Alex. Trallianus, ubi sup. inter signa vermium diagnostica Tussim memorat.

II. Aetius loc. cit. assiduum Famis sensum.

III. Jacotius (1) frequentem in Infantib. dormientib. masticationem.

IV. Ant. Musa Brasavolus (2) odorem fœtidum in Puerulis, vermes patientib peculiarem.

V. Boerhavius aphor. 1365. frequentes pruritus narium.

VI. W. Swieten comment. præcit. aphor. subitum abdominis tumorem post pastum, &c.

Sic varia passim ab AA. traduntur vermium signa; quorum examen redibit inferiùs. Intereà nolumus tacere, quod vermium pavor adeo invasit a multo jam ævo hominum etiam cordatiss. animos, ut Georgius Baglivi (3) seriò admonuerit „ Quotiescumq. absurda quævis Symptomata eveniunt in morbis, cogitandum esse de vermibus „ Utinàm verò tanti viri idem evincerent, de vermib. Luporum, Corvorum, Viperarum, &c. Esse nimirùm nefastos convivas horum animantium: De quibus scilicet ex Experimentis Wephferi (4), & aliorum constat,

(1) Comment. Hollerij in Coac. Hipp. pag. 594.
(2) Comment. ad. Hipp. aph. 26. Sect. III.
(3) Prax. med. Lib. I. tit. Lumbrici Pueror.
(4) Cicutæ aquat. Hist. & nox. cap. 11.

stat, non secùs ac homines, scatere vermibus. Verum hæc in transitu : procedamus ultrà.

11. Remedia quod attinet Vermium, Clinicis Anthelminthica dicta, plurima jactantur ; quorum præcipua, tam ex Vegetabilibus, quam ex Fossilib. desumpta, honoris gratia suis quæque auctoribus inscribimus.

Dioscorides itaq. omnium primus ad vermes necandos commendat Absynthium Santonicum ex Gallia (1). Ex quo plures transcripserunt; uti Actius loc. sup. cit., &c. Galenus (2) Persicæ arboris folia trita, supra umbilicum posita. Ubi pariter de Filice plantà, inquit: Radicem habet maximè utilem; Latum enim Lumbricum interficit, &c.

Plinius verò de eadem Filice, imò de duab. ejusdem specieb. (3), ubi de Lumbricis sermonem habet, inquit : Quod pellunt interaneorum animalia. Ex quibus pariter multi hauserunt ; uti Avicenna (4), &c.

12. Ætate vero nobis proximiori Nicol. Monardes (5) Verbennæ succum adversùs vermes valde extollit, atq. luculento Matronæ ex Perù in Europam redeuntis experimento illustrat.

Jo. Jacob. Weckerus (6) Tanaceti Semen adeo exaltat, ut tribus matutinis cum Syrupo violarum exhibitum puero 4. annor. nomine Xysto, plusquàm centum pedalis lon-

(1) Lib. III. cap. 24.
(2) To. XIII De Simplic. rer. facult. pag. 209. 223.
(3) Histor. Lib. XXVII. cap. 9.
(4) Lib II. Tract 1. cap. 571.
(5) Simplic. medicam. &c. Lib. III cap. de Verbenna.
(6) Apud Schenk. Observat. medicin. Lib. III. observat. CXCVI.

longitudinis Lumbricos excreverit, indeq. a morbo liberatus fuerit.

Verum hæc nihil sunt pro encomijs Anthelminthicis plantæ, Corallina vulgò dictæ, a Jo. Andrea Matthioli (1), alijsquè passim attributis; De eadem Hieron. Mercurialis (2), postquam præfatur „ nullam esse medicinam, quæ communiter omnibus Lumbricis enecandis conveniat, (subjungit). Nullum esse præstantius remedium, quam Corallina vocatum „ Hac enim (ait ipse) in pulvere utuntur medici isti Foranei, & miracula faciunt; adeo ut viderim incredibilem copiam Lumbricorum interdum dejectam hoc solo medicamento „

13. Enarratio autem Do. Brasavoli, quæ prostat apud laud. Schenkium (3), non parùm addit eidem Invento & robur, & gratiam „ Quam Corallinam vocamus (ait ipse) & in frequenti usu pro Puerorum Vermibus est, a Dioscoride, Galeno, & alijs Muscus marinus nuncupatur, sed hanc vim ignorarunt antiquiores, Quod vermes interficiat, quam posteriores ita esse comprobarunt; & amara est; nùnc tota Græcia pro vermibus utitur: imò qui per plateas, & vicos contritam Corallinam vendunt, ita ferè clamant σκωληκοβότανον, σκωληκοβότανον, ac si dixerint vermicida herba (*) ... Quodque mulieres pro vermibus Puerorum vili pretio emunt „ Hactenùs laud. A.. Ex quo etiam

(1) In Lib. IV. Dioscor. cap. 94. sub nom. Muscus marinus.

(2) De morbis Pueror. Lib. III. cap. 10.

(3) Ibid. Observat. CCXXI.

(*) Ex usu intellige: Ex vi quippè nominis vox isthæc Verminosam-plantam unicè refert.

tiam nostras Plebecula Corallinæ famam hausisse videtur.

14. Fossilia quod attinet anthelminthica ipsemet Matthiolus allegat (1) Brasavolum (celebres ambo Corallinæ encomiastæ, uti mox vidimus) pro extollendis Virib. argenti vivi, seu mercurij adversum vermes: Quibus hodiedùm consentiunt nobiliores Clinici. Quid plura? Ubiq. regionum, imò ferè oppidorum, unusquisq. sua laudat Anthelminthica; non utcumq. sed sibi invicèm contraria: Uti videre est apud longos hujus argumenti tractatores, ut puta Schenkium, Andry, &c. locis cit. Ita sanè „ Ut magis quid quisque persuaserit sibi appareat, quam quid evidentèr compererit „ Uti habet Celsus (2) de medicamentis sui temporis.

En igitur tractatus, ecce doctrina, pro emendandis malis verminosis, a majoribus tradita: De quà tamen, quàm sit captiosa, quàm fallax, quàmq. humanæ salutis vacua, ad Sect. tertiam manifestum fiet. Interea sit

SE-

(1) Epistol. IV. Ad Steph Lauretum medicum Cæsareum.
(2) Op. omn. Lib. I. §. ultimo.

SECTIO II.

De Vermium Genesi verosimiliora, &c.

§. I. *Pro vermium animalium origine, Fatis, & Instinctu verosimiliùs interpretandis, systema Buffonianum assumitur; Indequè variæ Consecutiones deducuntur.*

15. Cel. Eques Buffon (1), ubi agit de Vermium animalium origine, &c. autumat, quod omnia corpora seu viventia vitam Sensitivam, seu simplicitèr Vegetantia, continent partes quasdam organicas; viventes quidèm, sed quæ adhùc nec animalia, nec vegetabilia sint, sed medium quid (animalcula vulgò Spermatica, vult esse tales moleculas organicas): quæ licèt motum reverà habeant, tamen vera animalia non sunt; sicuti nec illa, quæ latent in alimentis, sive ex animalib. sive ex vegetabilibus paratis: fient tamen, seu devenient Vermes, seu animalcula verè talia, qualia sunt Tæniæ, Ascarides, &c. simul àc plures ex præd. moleculis felicitèr, ut ajunt, combinantur in corpore grandioris, seu primitivi animalis. Verbo, probabile autumat celeberr. Vir, substantiam animantium grandiorum Prolificam, utpotè semper actuosam, atque tendentem in organizationem, prolificare pariter Vermes, diversæ quidèm speciei pro diversitate matricis, ubi accumulatur.

i 16. Ta-

(1) Histoire natur. des animaux. To. III, cap. 1. seq.

16. Talis fermè est idea (si malè non assequor sermonem crebris diverticulis fractum) originis Vermium in animantibus laud. Equitis ; quam volupè amplectimur , saltèm pro hypothesi, ac seclusis improbabilib.(*)utpotè valdè concinnam pro capiendis vulgarib. vermium hum. phænomenis , in posterùm recensendis, varijsq· consectarijs, indè resultantibus . Qualia sunt .

I.Vermium humanor. Soboles Hæc descendit ex communi imperfectione,seu vitio primævæ materiæ generationis humanæ. Hinc 1. Eadem, seu mavis, coæva est hominibus ipsis; primumque humani corpusculi rudimentum est paritèr rudimentum diversorum insectorum , hominis convivarum. 2. In successivis , ac singularibus generationibus , quò structura hominis est perfectior , eò parcior erit vermium soboles : et contra. 3. Sicuti nulla pars corporis est vermium expers, seclusis obstaculis, jam jam recensendis , ita diversa est natura ipsorum pro diversitate locorum , utputa Vermium Intestinalium , atque Cutaneorum , &c. de quibus suprà not. num. quinto 4.Inter ipsos Vermes alij sunt pariter aliorum hospites,seu mavis, parasiti: adeò ut Tænia v· gr. , corporis humani hospes , sub - hospites habeat Ascarides , seu quasi ascarides ; Et hi

(*) Uti est v. gr. Quod hæc animalcula non generantur adinstàr reliqua animalia ; sed horum esse quasi abortum , seu mavis , Superfœtationem : Quod non facilè admittet sanus Philosophus ; sicuti non admisit Do. Vallisnieri loco cit., cujus parœmia est. Quod omnia Insecta sobolescunt , atq. nascuntur ex proprijs parentib. i. è , unum quodque juxtà genus suum , atq. speciem : Quodque aluntur alimentis unicuique proprijs , deguntque intra propria elementa , &c .

hi rursùs ascaridulos, seu Vermiculos minores sempèr, atque minores; & sic deinceps.

17. II. Fata: 1. Quæcumque in primo hominis conceptu adsint Vermium rudimenta, in progressu tam-n ætatis fieri potest quod nulli, vel tantum pauci adolescant vermes; utpote vel ante, vel etiam post fœcundationem sufocandi a vi vitæ, quasi dicam, animaliz.nte seu energià Primitivi animalis prævalente. Quod attentè notandum pro seqq. ritè capiendis. 2. Vermium humanorum status, atque fortuna erga suam sanitatem, morbum, ac mortem, idem est ac status, atque fortuna corporis ejusd. hominis: i.è. connascuntur, convivunt, valent, ægrotant, commoriuntur cum eodem homine: Retento tamen mox designato discrimine: i.è. Quod eorum ovula suffocantur pari passu, quo homo sanitate, atque vigore perficitur: Ac plura inde sequentia (*).

18. III. Instinctus. Vermes hum. Corporis, maximè grandiores, de quib. quæstio, præter vitam, reliquis ani-

(*) Fata quod attinet secretiora vermium humanorum, puta generationem, vitæq. ætatem scrutari, datum est nemini. Sicui vero arridet analogia Lumbricorum terrestrium, ecce nostra sbservata.

Delegi varios ex his variæ ætatis, servavique in nativà glebà; alios vero plures, in vasib. terreis, quotidie irriguis, crebrò explorando, quid cuiq. eveniret. Illi singuli, singuli pariter manserunt sempèr: hos contra paucos post dies multiplicari animadverti ex vermiculo incluso in ovulo simili semini coriandri, cuspide eleganter prominulo.

Inter eos procerior post dies 39. jam grandævus deposuit exuviam integram, indeq vegetior evasisse videbatur: nihilominùs triduò posteà mortuus est post menses quatuor: alter post quinq. circitèr; quorum nulla apparuit exuvia. Nonnulli minimæ ætatis obierunt intra mensem circiter, absq. ullo relicto sui vestigio.

mantibus communem, gaudent etiam aliquali Instinctu, ipsis peculiari; qui ab humanà arte moderari vix, observari autem commodè potest. Itaque 1. sicut omni prorsùs animanti inditum est invictum quasi fascinum possidendi statum, seu sphæram cuivis propriam, uti Piscibus aquam, ita pariter vermibus humanis insitum est inhabitare intrà corpus humanum.

2. Vermes incitantur ad tentandos motus quosdam peculiares in uno eorum statu præ alio: i. è, alij præ alijs humoribus tam sanis, quam morbosis, quibus innatant, aptiores sunt excitando hujusmodi instinctui: Quare in hoc hominis, sive valentis, sive ægrotantis, statu exitum è corpore moliuntur vermes; secùs in alio.

3. Sicuti in aere libero, seu extrà corpus hum., nequeunt diu vivere vermes humani, ita nec in cadaverib. defunctorum. Verbo: Quemadmodùm Piscis, non nisi ob vim externam renuntiat Instinctui degendi sub aquis, dum prosilit ad ripam; utputa pro vitandis insidijs alterius Piscis robustioris, vel etiam Piscatoris: Ita prorsùs contingit Vermibus humanis, proripientib. a corpore in aerem liberum: ad vitandum scilicèt discrimen sibi imminens, vel ex insidijs alterius vermis valentioris, vel ex ictibus viscerum sursum, deorsùmve prævalentibus; vel ob deficiens aptum, vel deniq. ob exuberans adversum cisdem pabulum. Quibus præmissis jam sit

§. II.

§. II. *De veris noxis, vermium humanor. sive effectibus, sive socijs.*

19. Loquendo de causis, & effectib. proximioribus vermium in singulis hominum, alij putant, actualem eorundem copiam repetendam esse ex usu ciborum lacteorum; uti casei, &c.: alij ab esu ciborum agrestium, seu rudiorum, ut in rusticis hominibus: alij a victu quocumque sordido, ut in castris militum, incultis populis, &c.: nos autem constantèr observavimus majorem, extra morbum, vermium copiam ex abusu fructuum horæorum, & signate castaneorum, quàm aliorum ciborum. Præterea observatur quotidiè maxima varietas inter homines, & homines, vulgò verminosos: alij scilicet per maximam vitæ partem; alij per modicam tantùm, utputa juvenilem, scatent vermibus (i.è, Lumbricos regerunt, neq. enim aliud argumentum habetur, cui fidere possimus, vermium in corpore adhuc latentium præter eorum eruptionem): alij contra vix unquàm eosdem reijciunt. Nonnulli, præsertim Parvuli cæteroquin sani, Ascaridib. ad podicem prurientibus affliguntur diu: alij nunquam: Tæniam quod attinet, vix novi (novi autem plures) a quo eadem eruperit, nisi in morbo epidemicè grassante. Quæ spontè descendunt ex dictis §. præced.

20. Ex quibus pariter sponte descendit: Quod evenire possint non nunquàm mala quædam realia, sæpiùs læva, rarò gravia, a moroso quopiam Vermium Instinctu quem alij morsum, alij suctum; alij simplicem reptatum

in

in areà viscerum, alij aliud appellant. Tales videntur esse in delicatulis sive ex ætate, sive ex pravà humorum temperie corporibus, fugaces quædam passiones, uti Cardialgia, Colica, Lipothymia, Motus Epileptici, &c. a nullo apparatu morboso incœptæ, neq. per crisim inde sequentem, sed unice post eruptionem cujuspiam vermis grandioris, sedatæ.

21. Non ita, fateor, spontè capitur vermium humanor. Phænomenon, quod sequitur. Nimirùm observantur passim in quibusdam teterrimis febribus Lumbricorum sursùm versùm eruptiones adeò enormes, ut captu dificillimum sit, quonam pacto in ægro, paucis ante diebus nihil suspicante, scaturire possit adeò ingens vermium, jam adultorum, propago. Nùm credendum, tantam lumbricorum copiam præextitisse diù ante in hujusmodi ægro? Non videtur. An potius, quod hæc contingat repentè, sivè ad modicum temporis intervallum post incœptum, alijs utiquè de causis, morbum? Pro responso quidèm observata desunt; exempla vero satis analoga substituuntur.

22. Sic Primo: Cadavera, seu carnes brutorum in aere libero, paucis diebus, vel etiam horis post incœptam, & non ante, putredinem, scatent vermibus; & quidèm tandiu durraturis, donec, auctà immanitèr mephitide, iterùm suffocentur. Secundo: Ita paritèr in siccà tempestate æstivà, rarà prægrandi cadente pluvià in aridam putrem tellurem, è vestigio cernuntur saltantia animalcula Ranunculis simillima, & post brevissimam vitam iterùm disparentia. Tertio: Sic, loquendo quàm proximè ad

rem

rem; in morbo vulgò Pediculari, improvisò conspicimus nedùm ægros, verùm & eorum stragula, myriadibus Pediculorum (aliorum brevi exarescentium, aliorum verò renascentium) scatentia.

§. III. *Quid sentiendum de malis quibusdam nequioribus, vesano cuipiam vermium ingenio hactenùs attributis?*

23. Vesanum utiquè insimulatur vermium genium, quotiès sævire dicuntur prætèr modum in corpus humanum, maximè adhùc tenellum, uti habetur ex processu, seu criminatione Boerhavianà ad num. 7. sup. allegatà. Quin etiàm vesanius, quotiès probatur, vermes varij generis, atq. figuræ, laceratis tractus alimentarij, aliorumq. viscerum repagulis, atro probosciduli morsu vel protinùs extinxisse hominem, vel viam sibi parasse ad remotas corporis plagas; ibidemq. latuisse, donec sævis angoribus lacessitum peremerint hominem. Non pauca hujusmodi terrifica exempla prostant tam apud veteres, quam penès RR. mirandarum rerum medicarum commentatores, quorum præcipuos ad totam Sect. I. sup. laudavimus. Singulare porrò illud est quod habetur apud Georgiùm Baglivi in epist. Do. Andry dicatà: De insigni Lumbrico reperto ad pericardium hominis, qui exindè post immanes cruciatus perijt. Kakodæmonas pariter meritò dixeris Lumbricos illos, qui inter plicas Intestinorum, aliorumque viscerum, semicomestas latuisse feruntur usque ad internecionem hominis. Inter quos accenseri for-

si-

sitàn merentur Lumbrici illi, de quib. apud W. Swieten ubi sup. n. 9.

24. Quidquid tamen sit de veritate, plurium saltem, hujusmodi narrationum, dubium adhùc remanet, non facilè solvendum; nùm plagæ illæ, sivè exulcerationes, quibus accumbentes reperti sunt vermes in cadavere hominis fuerint necnè a talib. vermibus reverà inflictæ; an verò ab alijs longè causis productæ? Nobis sanè contigit semèl, inquirere in cadaver Fœminæ, de vi illatà suspectum: ad cujus tractum alimentarium variæ hinc indè plagæ, aliaq. damna reperiebantur quidèm, vermes vero neutiquam: neque aliàs in diuturno ejusdem fœminæ morbo Lumbricos erupisse meminimus; Immò fateor ingenuè, mihi, licèt ad omnia, in arte novorum sempèr phænomenων fertilissimà, jam diu parato, ne minimum quidèm prædictor. vermium portentorum umquàm occurrisse.

25. Dicendum itaq. similia vermium monstra considerationem medicam vix mereri: tùm quia rarò admodùm contingunt; tum quia frustrà insudaret clinicus pro indaganda tempore habili verà tanti mali causà; & multò magis pro excogitandà efficaci medelà Anthelminthicà.

Quidquid igitur mali ominis inferunt reverà vermes hominibus, coarctatur inter angustos cancellos duob.§§. præcedd. summatim descriptos. Dum intereà immanis exhibetur malorum Processus, de quibus passim expostulantur vermes; uti vidimus in prima Sectione; licèt prorsus inquè: Siquidèm ex dicendis ad seq. Sect. manifestum fiet, quod ad summum morbi nonnulli causant, seu generant vermes: vermes vero ferè nunquam morbos. Quinimò: mor

bos

bos ipsos, quo pejores, eo magis esse vermium, a minimis morbis, ut puta a simplici Kachexià, generatorum exterminatores.

SECTIO III.

De insonti, quinimò passivà in morbis, vulgò Verminosis Vermium naturà.

§. I. *Paucis præmissis, exponitur præjacta doctrina per Experimenta, nedùm eruditis, verùm & idiotis attentis passim obvia: adjectis Corollarijs, & exemplis.*

26. Vermium infamia ità invaluit apùd promiscuum vulgus, ut vix contingat in populo ærumna, absurdis Symptomatibus stipata, cujus causa non imputetur vermibus: Idque maximè post monitum Georg. Baglivi, de quo sup. n. 10. Interea nemo tradidit hactenùs auxilium ad vermes sive necandos, sive expellendos adeò efficax, cui fidere possimus, sartà interim hominis verminosi fortunà: quod facilè intelligitur ex productis præced. sectione: ex communi quippè utrisq. massæ corporeæ origine, si non bona, saltem mala utrisq. communia esse, vel fore pronum est: exceptà utique in raro quopiam eventu peculiari eorundem vermium morositate, sivè instinctu; de quo pariter ibid. actum est satis.

27. Quare in vestibulo dicendorum præ primis tui studiosi suasor tibi sum, A. L., ut alacri animo perlegas

in proprijs fontibus quidquid de vermium animantium primordijs, variàque eorumdem naturà prostat apud Celeberr. AA. in I. Sectione laudatos : mirà etenim solertià diluunt ijdem quidquid ad hanc rem pertinet; Ità ut argumentum ex se adeo vile, ingenij elegantià nedùm ab omni vindicent nauseà, verùm etiam ornent, & gratum quodam modò faciant : In eo autèm quod agunt ijdem, vel quisquis alius; de malis vermibus imputatis, eorumque medelà etiam atq. etiam te hortor, ut teipsum contineas, donec sequentia perpendas Experimenta.

28. I. Lumbrico sursùm exitum moliente, atq. inter œsophagum, & gulam perreptante, percipitur ibidem sensus quidam obtusus corporis lumbrici, semoventis, & ad simplicem eructationem incitantis : qui sensus, verme aut foràs erumpente, aut iterùm deorsùm dilapso, protinùs evanescit, absq. ullo sui vestigio ibidem relicto.

II. Notum est vulgò, Ascarides, dùm ad podicem parvulorum magnà copià congregantur, excitare ibidem pruritum magis minusvè molestum; istum q. pruritum, non a quopiam Ascaridum nocendi; multoq. minùs mordendi genio produci; sed a solo reptato in areà valdè sensili, simùlq. morositate ipsis peculiari, perpetuò rotandi; atq. sè sè invicèm deturbandi pro occupando potiori loco.

III. Lumbrici passim ab homine, maximè puero, dilabuntur per secessum, nequidem ipso de ijsdem vel cogitante; nequè adhuc ægrotante.

IV. Si autem mordicùs dilabi pergant non sicuti olim rectè, sed malè quoquo modo se habere & percipit, & ex immutato vultu cognoscitur ipsemet homo. Nùm quia instin-

stinctus monet Lumbricum de imminenti morbo, antequàm ægrotum? Ità videtur.

V. In morbis exquisitè Inflammatorijs, quantumvis lethalibus, rarò exeunt è corpore ægroti vermes.

VI. In primo stadio febrium acutarùm Putris generis, nisi ex propinato Pharmaco, rarò exeunt è corpore vermes: Contra; in secundo, atq. ultimo passim.

VII. In morbis a contagio, ægri perniciem minitante, plerumq. protinùs a suscepto miasmate, fugiunt a corpore vermes.

VIII. In variolis mali moris per omnia fermè stadia morbi erumpunt è corpore vermes: Contra; in Benignis, atq. etiam in morbillis regularibus, plerumq. in primo tantummodò stadio, & non amplius.

IX. Idem ferè contingit in febribus Tertianis: Id est; in Perniciosis ad omnes ferè paroxysmos priores, etiam nemine cogente, sursùm deorsùm exeunt vermes. Contrà in Benignis; ex propinato seu Emetico, seu Cathartico passim: aliàs vix erumpunt ijdem.

X. In febribus acutis anomalæ indolis quandoq. nemine cogente, seu furtim dilabuntur vermes: ubi contra, propinatis prætensis Anthelminthicis; quiescunt ferè.

XI. Idem accidit in passionibus quibusdam Hystericis, atque Hypochondriacis: ubi sæpè ante omnem Pharmacorum usum proripiunt a corpore vermes, quorum nulla præerat suspicio: Contra in pari obviàm casu, quinimò et accedentibus vulgaribus eorum signis, adhibitoq. Specifico Anthelminthico, prorsùs silent.

XII. In prædictis febribus anomalis, judicato quidèm,

sed nondùm plenè soluto morbo, prolabente clanculùm uno, vel altero Lumbrico, postero die res ægri paulò deteriùs se habent, quam se haberent ante prolapsum. Nùm quia reviviscens adhùc fomes morbi præsentitur, offenditque priùs vermem, quam ægrotum? Ità videtur.

XIII. In morbis sævissimis Putris generis, perpetim atq. magno numero exeuntibus vermibus, plerùmq. tandem moritur æger. Unde nugatoria est methodus vulgaris medendi similibus morbis ope remediorum, uti vocant, vermifugorum.

XIV. In ijsdem morbis, mortuo etiam ægro, susquè dequè proripiunt foris superstites vermes. Quæritur a quanam causà incitati ita se gerant? aut cui nocere moliantur profugi vermes? Respondebis; nemini sanè; sed ut sibi ipsis consulant. Idem dictum habe de eodem homine adhùc ægrotante.

COROLLARIA.

29. *Primum*: Ergo temperies cachectica hominis, maximè pueri, est potissima causa excitans vermes ad molien-dos motus, seu res novas. Donèc eod. homine malè jam se habente, morbique materià fervere incœptà: vel etiàm ex propinatis (quod attentè notandum) opportunè importunè Anthelminthicis, rancidiori reddità fugam quidèm è patrio domicilio moliuntur vermes; fomitem verò morbi minimè tollunt: Perperàm intereà sibi gratulante vetulà de efficacià sui arcani vermifugi.

Secundum: Igitur vermes in homine, eo magis adiapho-

ri

ri sunt quo faustiori sanitate gaudet ipsemet homo, ac proindè eo turbulentiores, quo magis perturbata sunt nativa elementa sanitatis ejusdem hominis.

Tertium: Igitur omnes illi morbi, in quibus obstinatiores observantur vermium insultus, speciale præ se ferunt nocendi genium, singularemque exigunt medendi methodum, ab Anthelminthicà longè distinctam.

Quartum: Igitur morbi seu febres, vulgò Verminosæ, perniciem æquam imò majorem minitantur vermibus, quàm ægris ipsis. Undè descendit sequens in arte medicà novitate, ac certitudine æquè clarus

Aphorismus: Nullum datur præstantius Anthelminthicum quàm ipse morbus.

Quintum: Ergò aut nullum, aut prorsùs nugatorium est adversùs mala, vulgò verminosa, quodcumq. vulgò paritèr decantatum remedium: Vel siquod est, illud tantummodò est, quod characteristico, aliundè repetendo, morbi genio debellando aptum natum est.

Pauca, sed obvia exempla ultimum Corollarium Confirmantia.

30. Primum: Sic in febribus vulgò Perniciosis, post incœptum, ac ritè perrectùm Corticis Peruv. usum, insultus vermium, qui priùs oppidò vexabant, omninò cessant.

Secundum: Sic in doloribus, v. gr. Colicis, ejus indolis, quibus Anodynis tantum medemur, post Laudani cujuspiam usum ritè functum, vermes, qui paulò ante susque deque arripere fugam decertabant, omninò quiescunt.

Ter-

Tertium: Contra pleramq. evenit cum exquisitissimis Anthelminthicis, mordicùs adhibitis, in Torminibus gastricis, maximè puerorum, ex acerrimà saburrà, etiam absente febre, oppidò molestis, quæ scilicèt alternè quasi sopiuntur, atq. reviviscunt diu, simùl cum eruptione vermium: neque emendantur, donec ex prudenti usu Epicraticorum, indeq. Anodynorum Theriacalium, tollatur prius rancidissima colluvies; atq. exindè convulsis visceribus restituatur virtus amissa.

Quartum: Ità paritèr furentibus, ut ita dicam, vermibus, in miasmate quovis Febrili, vim vitæ aut sopiente aut corrumpente, mirè placantur ijdem aut post emensum morbosæ luctæ ferocioris stadium; aut etiam post opportunam applicationem vessicantium; vinivè, acetivè, &c. moderatum usum.

Quintum: In ipsà non nunquam Peripneumonià exquisità; imò (quod jure mirere) in ipsomet simplici Catarrho vulgi, attamen reverà Inflammatorio, vermes, qui incunte morbo procacitèr insultabant post venæ sectiones ritè celebratas, simùl cum morbo sopiti omninò quiescunt.

Sextum Denique febris urens Phthysicorum adeò infensa est cujusvis speciei vermibus, ut, neque morbo hoc jam confirmato, vel unum foràs erumpere; neque in eorum cadaveribus, post mortem dissectis, aliquem reperiri nactenùs mihi contigerit.

§. II.

§. II. *Varia AA. Testimonia doctrinam hactenùs præmissam confirmantia.*

31. Quantumvis observata, mox exposita abundè sufficiant pro apologià, ut ità dicam, pusillorum hominis hospitum, seu vermium, erga morbos communitèr obvios, nihilominùs producere hic juvat nonnullorum auctorum testimonia, vulgarem adversus eosdem criminationem refringentia.

I. Et quidem primo loco verba Do. Swieten, licèt sub alieno nomine Sectione 1. n. 6. sup. relata, vehementem pariunt suspicionem de mente excultiss. viri, ne quæ producit in posterùm de malis vermibus imputatis, ideò produxerit, ut morem gereret Mag. Præceptori suo, vel etiam vulgo, de noxis vermium tantoperè præoccupato. Quidquid sit.

II. Clariss. Pringle (1) agens de Dysenterià, alijsque ærumnis regnantibus in castris militum, ubi pariter aderant vermium insultus, subjungit „ Minimè putandum est, vermes fuisse horum morborum causam, ostendisse tantùm, eos morbos (in quibus prodibant vermes) esse pejores „ Ita sanè ingenuus Pringle (*); Quod idem monitum est sup. n. 28.

32.

(1) De morb. Castrensib. P. I. cap. 3.

(*) Quem verborum sensum Do. Swieten Comment. §. 1363. malè vertit in alium sibi accommodum, traducendo scil. „ Minimè cogitandum est, vermes fuisse talium morborum causam, sed tantùm *reddidisse* eosdem pejores „ Qui tamen sensus valdè discrepant inter se, uti patet.

32. III. Quod morbos attinet vermibus imputatos „ Decernere (inquit cl. recentior) (1) utrùm praxis generalis eliminandi hujusmodi insecta ab hum. corpore ope Purgantium (de quibus scil. expressè agit loco cit.) fuerit necnè magis perniciosa , quam utilis , dubia est quæstio . Talis morbus non est adeò frequens, ut quidam putarant : Sæpè enim morbi alterius Symptoma , & mali moris sequela est . . . Eadem est opinio Clinici celeberrimi (sub tacito nomine sodalem quempiam insignitèr doctum intellige) : Quod nempè in morbis a vermibus, qui sunt insecta , quæ de se vix nocere valent , plures Pueri fuerint enecti ob incautum catharticorum usum „ Hactenùs L. A.

33. IV. Levinus Lemnius (2) sic fatur ad casum nostrum „ Visum est nonnullis prodigij quiddam simile , Lumbricos , præsertim longos, & teretes, sursùm eniti , acper os, naresque erumpere : Cum id insito quodam naturæ motu facere soleant; si quando homo diutiùs jejunus perstiterit... sentiunt enim sagacitate quadam naturæ , per illas partes in ventriculum delabi alimenta : & cum nares perviæ sint, & ad gulæ tramitem spectent , eo quoq. se conferunt ; factaq. titillatione , vel sternutamento ejiciuntur ; vel primoribus digitis prehensi eximuntur . Hæc in sanis multotiès a me sunt observata „ Et hactenùs quidèm A. rudiori minervà: quæ autem paulò infra persequitur idem, severiora sunt . Videlicèt

34.

(1) Thomas Withers Scotus , Observat. De usu , & abusu remed. & Sect. II. propè finem .

(2) De miraculis occultis naturæ Lib. I. cap. 12. Sub medium ævi 16. cel. Zirickzeæ in Zelandiâ Urbe patriâ Clinicus .

34. „ In ægrotantibus verò hoc ipsum aliquandò (frequentèr potiùs dixisse poterat) evenisse conspexi: sed non absque imminentis mali præsagio; tanta est enim in hujusmodi (ægrotantium) corporibus contagio, eaque putredo, atq. humorum inflammatio, ut exitialem vim morbi perferre nequeant (vermes): Itaq. erumpunt quidèm foras, sed morbi sævitià, non criticè nec naturæ vi incitati. Cum autem desinente morbi violentià, infernè cùm reliquis excrementis illos prolabi contingat, salutare id esse Hippocrates statuit (ubinàm non reperio): Spontè verò, nullove naturalis facultatis impulsu egredi, quod in moribundis perspicitur, decumbenti noxium „ Hæccine L. A.

Nota. Cum eadem nobis videre passim contigerit, vehementèr suspicati sumus, causam, quare Clinici omnes eandem doctrinam non profiteantur, esse potius Politicam, quàm Medicam. Nimirùm; quia vident, vulgus totum ad conspectum eruptionis vermium in morbis, de parando protinùs quopiam Anthelminthico præoccupatum, eidem morem gerere satiùs æstimant, quàm propriæ conscientiæ: i.e. Experimentali scientiæ. Unde etiam locus circulo perpetuò vitioso similium errorum, seu mavis hallucinationum; i. e. Quod Clinici RR. arte substinent, sivè dissimulant in Populo errores, quos eidem seriò forsitàn, seu inscij affricuerunt Clinici priores.

35. V. Denique notandum sanè, quod Hippocrates in tota sua Nosologià nullam ferè de vermibus rationem habuerit: adeo ut in septem Epidemicor. libris, qui pro legitimis habentur, ubi fermè innumeras ex omni genere morborum historias exactissimè pro more persequitur,

non alia vermium sursùm deorsumve rejectorum mentio habetur, præter unum ægrotum duodecimum ad Lib. I., de quo simplicitèr ait „ egessisse (inter alia) Lumbricum, & paulo post esse mortuum „ Ad Lib. verò IV. Sect. 3. ait „ Thersandri uxori (febricitanti) Lumbrici per os (prodierunt) „ Tandem verò Lib. II Sect. I. Ascarides accusat „ Quod in ea constitutione nocebant, tùm ex pruritu , cùm ex seipsis „ An quia id ipsum nulli ex reliquis contigerit ? Non puto : Án potius , quia vermes ad rationem descriptorum morborum non pertinere judicaverit medicinæ Parens ? Non discrepo .

§. III. *Symptomata peculiaria , a varijs AA. vermibus attributa , recensentur , expenduntur , refelluntur .*

36. Circa argumenta , seu suspiciones actualis præsentiæ Vermium intra hominem , fatentur ingenui Practici , nullum certum haberi signum prætèr actualem eorum ab eodem homine fugam , seu exitum . Nihilominùs ad §. III. primæ Sectionis producta sunt varia AA. placita , quibus visum est adnumerare inter famosiora vermium argumenta , signa quædam externa; quorum nonnulla ità in vulgus abierunt, ut & ipsis mulierculis nota sint. Sunt autem ex ordine ibidèm servato sequentia :

I. Tussis , seu mavis Tussicula .

II. Assiduus famis sensus .

III. In Infantibus dormientibus masticatio frequens .

IV. Odor fœtidus in Puerulis verminosis peculiaris .

V.

V. Frequens narium pruritus.

VI. Subitus abdominis post pastum tumor.

Summatim verò alij accusant vermes, Quod inducant edacitatem; alij contra anorexiam, seu prostratum appetitum: Alij pallorem vultùs; alij ruborem: Alij ructus; alij borborygmos: Alij alvum adstrictam; alij lubricam: Alij loquacitatem; alij aphoniam: Alij pervigilium; alij soporem. Quid plura? Si dijs placet, sicut placuit Erasmo Roterodamo (1), atque ex eod. Hieron. Cardano(2), in Italo, prorsùs indocto, Germanicæ linguæ peritiam (*). Verbo: omnia.

Quare, fateor, me tot antinomijs, seu contrarijs Criminationib. adversùs vermes componendis non esse parem: quinimò paratissimum pro eisdem refellendis per seqq. argumenta Anti-Diagnostica.

37. Ad I. Hactenùs in Scholis medicorum traditum est, Tussim præsto esse, quotiès Pulmones consuetum antehac cum aere introcunte officium reluctant: Idque contingere, loquendo præsertim de tussi extemporaneà, alluentium eosdem modò aeris, modò verò laticis vitio; quorum tamen alterutrum a vermibus esse nemo hucusq. serio demonstravit.

Ad II. Edacitatem quod attinet, vel contra, quidni hæc proveniant potiùs ab immutatà ad amussim tàm accusato-

 rib.

(1) Orat. De laud. medicinæ.

(2) De rerum varietate Lib. VIII. cap. 43.

(*) Nimirum, inquit Erasmus, sibi notum fuisse hominem nomine Philarium, patria Spoletanum, qui ex vermib. Teutonicè probè loqueretur. Vah nugas tanto viro indignas!

rib. quàm defensoribus vermium æquè ignotam, succi gastrici, &c. indole; uti evincit cl. Gorter (1)?

Ad III. Eodem ferè modo interpretari licet frequentem in infantibus dormientib. masticationem: imò evidentiùs, dicendo, quod similis actus nihil est aliud, nisi reviviscentia habitus puerorum, in vigilià nacti, sugendi perpetim, seu manducandi.

38. Ad IV. Odorem quod attinet, seu potius nidorem in infantib. vulgò verminosis, peculiarem, fateor, me, etsi satis nasutum, ejusmodi odorem, ab halitu quodam fœtido, tam Pueris, quàm adultis æstu febrili, sive etiam Cακochylià gastricà, laborantib. communi, discernere non potuisse; vel eatenùs tantùm potuisse, quatenùs hujusmodi morbi, juxtà variam infectorum ætatem, varium paritèr spirant nidorem; non jam a vermibus, sed potius ab ægritudinis genere, ab ægrotantium ætate determinandum: Cujus palmare argumentum est, quod vermes, tàm a puero, quàm ab adulto sive ægrotante, sive valente, excussi, inveniuntur semper inodori.

Ad V. Pruritus pariter narium, de quo tantoperè accusantur vermes, obvijs Pathologiæ legibus explicandus est ab omnibus; ut pote qui oritur ex latice muriatico, qualem oportet esse in morbis putris indolis, ad membranam Schneideri secreto; vel etiam ab aere externo, quomodocumq. eandem temerante; uti passim evenit in Coryzà.

Ad VI. Jam verò Inflatio ventris post pastum, cibis leguminosis, vel quibusvis alijs in meteorismum propensis,

(1) Dissertat. De Fame, & Siti per totum.

sis, vulgò aliàs attributa, malè hic torquetur in vermes. 39. Deniq. quod motus attinet sive antagonistas ad summar. n. 36. mox allegatos sive alios, quovis modo absurdos, ut puta Epilepticos Puerorum, Palpitationes viscerum, Subsultus artuum, &c. quo jure vermibus imputentur, ignoramus. Certè hujusmodi motus, imò & absurdiores, ortum suum debere crediderunt hactenus cordatiores Pathologi (1) conspirationi morbosæ fluidorum adversùs solida, vel contra; nempè Dyscrasiæ amborum horum momentorum a nativà, blandà, salubri œconomià animali enormitèr aberrantium. Et ni hæc ita sint, licebit quoq. alios quosvis absurdis symptomatib. comitatos morbos, ut puta Epilepsiam Chronicam, Hysterismum, imò, & ipsam Quartanam febrim, repetere à moroso vermium genio. Quo semèl admisso, ars tota medica, inter angustos laboris cancellos contenta, placidè in posterùm stertere poterit, universà ferè morborum Therapejà Agyrtæ cuivis, de arcano quopiam Anthelminthico sibi plaudente, commissà.

40. Verùm omnes simùl adversùm vermes hactenùs relatæ infamiæ, nullà ratione breviùs, quàm seq. confodiuntur exemplo „ Quandoque plura vermium Symptomata occurrunt (inquit W. Swieten Comment. §. 1368.), licèt nullibi adsint: memorabilem talem casum (pergit idem) recenset Cel. Edimburg. Professor S. Clair Medical essais, &c. Puer 4. annor. Stomachi dolores patiebatur: narium aderat pruritus: pervigilia: terrores in

(1) Gaubius Pathologiæ ... Symptomata actionum natural. n. 786. & Et aliàs passim.

somnis: & tùnc subito cùm subsultu evigilabat: posteà nares perfricabat perpetuò, sivè vigilaret, sive dormiret: sequebantur convulsiones; quibus sexto die perijt, in cassum tentatis plurib. secundum artis præcepta remedijs. Intestinis in totà sua longitudine cautè dissectis, uti & ventriculo aperto, nullibì apparuerunt vermes „ Hæccine L. A.

Confodiuntur, inquam, hoc unico ictu omnes, quæ vulgò infliguntur vermibus criminationes: Hujusmodi quippè Experimentum (cujus simillima passim occurrunt) tale est, quale ad Experientiam Negativam figendam, indequè plures simùl oppositas, seu Positivas destruendas in arte medicà sufficiens esse alibi (1) ostensum est. Et jure merito: Eadem quippè causa, sive complexus causarum, quæ in allato exemplo edebant omnia ferè signa, pro præsentià vermium vulgò receptà, absquè tamèn verà eorum exsistentià; illæ met pariter, vel similes causæ edere poterunt etiam aliàs eadem signa, eademve symptomata, i. e. eundem morbum, etiam præsentibus nec tamen actoribus vermibus, demonstrante Logicà: nemo siquidèm præsumit asserere, vermes, etiam cum reverà existerent, impedituros unquam morbum, ab alijs causis oriundum.

§. IV. *Anthelminthicorum Specificorum encomia in I. Sect. allata, brevitèr præstringuntur.*

41. Ad calcem I. Sectionis ineluctabilem apposuimus cen-

(2) Elem. Critic. Exper. Medicæ n. 34.

censuram cunctis simùl Anthelminthicis ibidem recensitis. Jam verò pressiùs loquendo ad rem, fateor ingenuè, argumenta ex adversò modò alleganda, esse parùm fida: Talia quippe sunt omnia experimenta capta cum vermibus jam exemptis ab homine, & multo magis a reliquis animantib. sive adhuc vivis, sive mortuis. Hi quippè omnes, utpote in aere libero, i. e. extrà sphæram propriæ nativitatis collocati, vivunt jam vitam tantummodò brevem, atq. precariam; undè non mirum, si emoriantur illicò, vel seriùs; sivè tandem hoc, sive illo modo tractentur. Accedit, quod varij gestus, uti convulsiones, contorsiones, &c. quos edere solent ad applicationem, sive immersionem intra varia medicamenta, pro Anthelminthicis jactata, utputa mercurium, absynthium, mel, lac, &c. nescimus quid reverà significent: utrùm nempè oblectamentum, seu alacritatem; an contra horrorem, atq. execrationem, ad mortem usq. quæ, velint nolint, citò eisdem imminet, sive tandem, intra grata, sivè infensa medicamina detentis.

42. Unde non mirum, si Experimenta a celeberr. viris pro enecandis hujusmodi Insectis ope famosiorum Anthelminthicorum instituta, curiositatem, atq. expectationem eorundem sæpiùs eluserint. Ita testatur Do. Coulet apud W. Swieten comment. §. 1371. „ Quod nullum invenerit liquidum adeò amarum, quod amaritie sua vermes extinguere potuerit; Imò quod eos in amarissimis liquoribus vivaciores, atque vegetiores semper invenerit „ Quæ tamen cum Lumbricis grandiorum Brutorum, secùs hominis, evenisse putandum est: quippe quorum vi-

tam

tam in aere libero tot moras non trahere, experimur quotidie. Sic etiam cl. Clinicus Torti (1) in amarissimis Aloes, Colocynthidis, & corticis Peruv. Infusis tandiu vivere observavit vermes, donec pertæsus moras, in Spiritum vini eosdem immerserit; ubi statim mortui sunt. Eadem ferè cum mercurio, Anthelminthicorum facilè principe, expertus est idem cl. vir (ibid.).

43. Quidquid tamen sit de laudatis, uti jacent, Experimentis, minimè inficior, occurrere in dies Phænomena eisdem adversa: motus videlicèt vermium susq. deque erumpentium ad oblatum quodpiam Anthelminthicum, vulgò jactatum: idque eo certius fuerit propinatum Pharmacum; ut puta Corallina, Semen Sanctonicum, vel aliud amarum, simùl cum melle mixtum; oleum commune, vel etiam Matthioli, cum acidis vegetabilium, &c. Quæ nempè ingesta in ventriculum Kako-echticum, qualis supponitur esse verminosorum, insignem excitant musti, ut ita dicam, gastrici acorem: in quo casu nihil mirum, si quà datà portà ruant, si qui adsunt, vermes; ex dictis sup. Coroll. 1. num. 29. Sed quid hæc cum Therapeja ægroti verminosi? Cum, uti vidimus ibidem, seu exire, seu expellere vermes, non sit idem, ac mederi morbis, vulgò verminosis. Idem ampliùs ostendet seq.

§. V. *Expenduntur Generica Anthelminthica; i. e. Purgantia.*

44. Hic itaq. si vulgaria dogmata sectari velimus, omnia

(1) Therapeut. Special. Lib. V. cap. 6.

mnia nutant; claudicant omnia; cuncta Protheum sapiunt: non uti alijs in morbis, Podagrà puta, Hysterismo, &c. ubi, etsi sæpiùs ab auxilio opportuno nullum bonum, a præpostero certè malum augetur: Contra sæpissimè contigit cum Specificis vermium remedijs; qui non semel æquè surdescunt rectis, ac oppositis Pharmacis. Vidimus sæpè,& videre licet omnibus attentis, lumbricum ad jactatissima Anthelminthica omnino surdum, post injectum, aliud agentes, Enema simplex, clanculùm dilapsum.

Quæ cum ita sint, Prudentia medica monet nos, ad alia animum advertere: nec in posterum de Specificis, ut ajunt, vermifugis, sollicitos esse; utpote quæ mali radicem non tangunt, sed ad summum larvam: origo namque tanti mali, quod seu Cachexiam, seu Febrim Verminosam, distinctionis gratià appellare licet, altior est me- herculè, quàm ut quisquilijs, arcanisve Vermifugis emendari valeat.

45. Intereà statuendum pro universali Theoremate; Nullam dari certiorem viam profligandi Lumbricos extra corpus, quam Purgantia, seu sursùm, seu deorsùm operantia. Eandem nobis præmonstrarunt viam Celebb. præteritæ ætatis Clinici; quorum nomina brevitatis causà reticemus „ Quare (inquit W. Swieten comment. §. 1372.) alijs magis placuit, Anthelminthica Purgantibus miscere„Ita sanè; quia Vermes, utpote cognati hospites hominis sani, motui tantummodò naturali (Vermicularem aliàs, aliàs verò Peristalticum vocant) tractùs alimentarij sunt asueti; & quamvis eidem, etiam aliquantispèr aucto, ut puta cum le-

lenibus Purgantib. utuntur, seu mavis, abutuntur homines, facilè reluctentur Vermes; non ita tamen repugnare valent ictibus eorumdem Viscerum, a valido Pharmaco vehementèr auctis, quin simùl tracti cum alluvione contentorum, velint nolint, excutiantur foràs.

46. Sed quid etiam hæc ad universam medelam malorum, de quib. agitur? Num Pharmaca hujusmodi, sive Emetica, sive Cathartica, præscribere potest prudens Clinicus omni ægrotanti, totoque tempore, quo durant, & affligunt verminosa vulgò Symptomata? Absit.

Multifaria profectò sunt morborum genera, variaque ejusdem morbi stadia, in quibus procacitèr insultant vermes; & tamen neq. cogitare licet de propinandis Purgantibus, uti demonstratum est in doctrinà hucusq. traditâ.

Quid ergò faciundum? Resp. investiganda seriò seu vera, seu verosimilior malorum horum, passim variantium, radix, eique varia paritèr securis adhibenda: ad quod præstandum præter exemplar exhibitum ad præjactam doctrinam, immensa ferè prostat Praxis apùd majores: qua te precor, A. L., uti frugi.

FINIS.

TER-

TERTIUM MEDICORUM PRÆSTIGIUM CONTAGIUM MORBI PHTHYSICI.

§. I. *Prolegomena.*

Num. 1. Beatam nimis futuram humanam conditionem, si ærumnis tantummodò realibus affligeretur, eandem reddidit pessimam sollicitudo nimia, seu mavis formido de malis Imaginarijs (*). Cujus rei miserandum exemplum habetur in vulgari opinione contagij Tabis Pulmonaris. Unde quam probrosa scaturiant ingenuæ Philosophiæ scandala, patebit, credo, ex dicendis.

2. Popularis, inquam, antiqua opinio est, morbum, quem dicunt Phthysim, eà esse virulentià præditum, ut, siquis aut necessitudine, aut officio, aut qualibet alterà causà, cum homine hoc morbo detento, aut rebus quomodolib. ad eundem pertinentibus consuescat in proximo, eodem morbo sese inficiundi, discrimine versetur.

3. Quæ sanè opinio adeò invaluit apud omnes ferè orbis terrarum gentes, ut nullam noverim, quæ eàdem sententià non imbuta sit. Apud Moscos, Polonos, Germanos, Batavos, Anglos, Lusitanos, Hispanos, Gallos, Italos, apud novi orbis incolas, eàdem vulgus hominum opinione

(*) Intolerabiliora sunt mala imaginaria, quam realia, uti Paupertas, &c. inquit Cl. Mead. cap. De Insania.

ne torquetur, uti ex testibus undiq. fide dignis accepimus.

4. Qua autem ratione tetrum hoc fascinum remotas adeò gentes peragraverit, easque tàm indelebili fuco infecerit, me prorsùs ignorare fateor: non secùs ac ignoratur ratio plurimorum errorum, quos vocant, Popularium: Qui traditi à patre in filios, atq. de gente in gentem propagati, mirè sobolescunt, & integri perennant ubiq. locorum.

5. Siqua verò divinandi optio mihi detur, eam fuisse Experientiam quamvis, malè partam, vehementèr suspicor. Exempla nimirùm, passim obvia, plurium ex eàdem domo, vel familià hoc morbo defunctorum: cujus phænomeni cum alia ratio manifesta tunc temporis non suppeteret, ad ocularem, omnibus captu facilem, inexorabilem contagij livorem recurrere facillimum fuit; eidemque rumori adquiescere, Clinicis pro tempore minùs saltèm molestum.

Scilicèt observantes præd. Clinici, plures ejusdem vel Familiæ, vel convictùs Juvenes, ex ordine fermè ætatis, morbo, fato, tumuloq. eisdem prope diem succedere, tenuerunt sententiam, suis rebus meliùs consulentem, simulque a populari cavillatione magis immunem: Quod nempè fatalis labes revivisceret per contagionem: Ex quo imprudenti consilio imprudentius vulgus hausit buccellam, adeo revcrà contagiosam, ut adhucdùm frustra sit, nisi extirpato cerebro, extirpare eandem.

7. Donec procedente tempore, ingruentibus in populo morbis alijs, & casu æquè frequentibus, & reali contagio magis conspicuis, variolis puta, Scabie, Lue venereà, &c. inter morosiores medicos cæptum est & confer-

re

re casus & contagij infamiam inter Phthysim, atq. prædictos morbos discriminari. Unde pro voto saltèm privato (ex instituto quippe huic soli argumento dicato nemo quem sciam tractavit hanc controversiam usq. ad præsens sæculum) sententiam suam, contagium Phthysicum negantem, plures tradiderunt; dequib. infrà.

8. Jam verò in dieb. nostris, quando & morbi hujus furor, & contagij rumor per omnes Pagos pari passu currere videntur, asserere idem timidiusculè, inquirere contra de eodem audactèr cæptum est inter medicos. Quinquaginta ab hinc in varijs Europæ Provincijs plures novimus AA., qui de hoc argumento ex instituto tractarunt, Italos, Gallos, Germanos, Anglos (*).

9. Nemo intereà exhausit hactenùs tantam controversiam: longè absumus & ipsi ab spe exhauriendi eam. Modica non sufficiunt ut satisfiat, occupato per longum erroris ævum vulgùs ingenio. Plura, fateor, producenda sunt & a nobis, more Priorum, ornatùs ut ajunt gratià, extranea ac proindè infida; qualia sunt Physica Theoremata; ratiocinia distracta, majorum auctoritas, &c.: attamèn de reliquis, controversiæ cardinem funditùs quatien-

(*) Quibus adde DD. Federicum Krock, & Christoph. Ewers, ambo Moscos, ex totidem Dissertationib. pro contagio Phthyseos Gottingæ nuper editis, i. e ad an. Domini 1782. & 1783. satis celebres.

De solis Italis quinque novi claros admodùm medicos, qui de hoc argumento virilitèr disputant: Quorum cognomina, ac operùm editorum Patriæ sunt seqq. DD. NN. Cocchi, Florentiæ: Fassano, Neapoli: Castellani, Mantuæ: Paitoni, Venetijs, an potiùs Patavij? Narducci, Perusiæ. Ex his duo tantummodò posteriores extant Contagij assertores; tres vero priores sunt contradictores. Imò dùm hæc longè scribimus, typis Romanis editam accepimus opellam, a Philippo de Carolis, prætensum Contagium argumentis, non minùs salsis, ac invictis confutantem.

tientibus, spondemus, quod certa proferemus, atque peremptoria.

10. Nimirùm Facta; non verba, utcumq. sonantia: iterumquè Facta, exquisitè quæsita, indesinentèr attrectata, & ineluctabilitèr apprehensa; qualia oportet esse in arte medicà: utpote qui satis novimus, in rebus præsertim medicis, si Facta demas „ Nihil esse tam improbabile, quod non dicendo fiat probabile „ uti ajebat Cicer. Paradox. Præfat. Quod ipsum in re, quam agitamus, maximè valet; ex eo, quod, me judice, (de quo interùm infrà fusiùs) Nullus datur morbus, quem, si stetur ratiocinio, non demonstretur facilè, esse contagiosum.

§. II. *De Principum Providentiâ erga Phthysicos.*

11. Exindè (sup. num. 6.) non mirum, si tanti morbi infamia, quo tot Familiæ desolabantur, delata sit ad Principes ipsos, populorum Moderatores; quibus apprimè cordi est, nedum propriæ, verùm & publicæ incolumitati consulere; qui in posterum de cavendo, quoad fieri posset, tanti mali incremento, latis Legibus providerent: Quibus jubetur „ Ut Urbium, atq. Pagorum Clinici, quotiès contingat eisdem, quemquam ex morbo Phthysico de vità excedere, referant ad pub. Sanitatis tribunal, cui severè mandatur, ut de cremandà Defuncti suppellectili, alijsq. cautelis seriò provideant „ Ad eum ferè modum, quo notum est, Sapientiss. populorum Rectores, datà occasione, edere consuevisse varias leges, pro arcendà Peste, mercibus infectis, &c. a finibus eorum. Uti videre

dere est ap. Ric. Mead Tract. de Peste, Ludov. Ant. Mutori Governo della Peste, &c.

12. Ejusmodi Legislatio, & praxis antehac viguit, quod sciam, in universo Hispaniarum dominatu; in nonnullis Galliarum Dicasterijs (Parlemens) ad varias Italiæ Ditiones; utputa Florentinà, Neapolitanà, Venetà atq. Romanà. Ex quo non semèl doluimus, variorum, maximè Pagorum Prætores, miserorum Phthysi defunctorum miseriorem habuissse rationem.

Jam verò supposità saltèm luculentà fallacià rumoris, de contagio morbi Phthysici, de mente Principum non teneri populos ad observantiam legum ab ipsis latarum circa Phthysicos. Sicuti, detectà falsitate rumoris de Peste, alicui Provinciæ incumbente, eo ipso præscribuntur decreta, de eàdem lata; liberque manet transitus viatoribus, mercibusq. per loca præced. Lege vetita.

Quod patet Primo: Ex capite notoriæ justitiæ eorumdem Principum, cujus est non gravare populum superfluis æquè, ac onerosis legibus. Secundo: Ex capite Œconomiæ eorumdem Rectorum; cujus est, non expoliare neu perdere rem familiarem Phthysi defunctorum, vel eorum loco hæredum, absq. ullo fructu neque privato, neque publico. Tertio: Ex capite Pietatis Principum, cujus est, non incutere Populis metum supervacaneum (imò perniciosum, uti in posterùm demonstrabitur) De contagio imaginario.

14. Idque sanè, quamvis contra stet votum, utiq. privatum, cujusvis famigeratissimi Philosophi. Notum est quippe, judicium privati hominis in rebus merè Physicis, qua-

qualis est præsens, legesq. eisdem substructas, variari nedùm passim, verùm etiam abrogari consuevisse; quodq. hum. prudentiæ, atq. regimini apprimè deceat, ita fieri, quotiès innotescit melius consilium: Uti reverà factum accepimus in nonnullis num. 12. laud. Provincijs, de quib. infra suo loco.

Nec refert objicere, quòd, etsi hodiedùm constet apud sapientes viros, de falsitate opinionis prætesi contagij, nihilominùs promiscuum vulgus, de infamià talis contagij ita esse præoccupatum, ut valde metuendum sit, ne ex adeo validà, quamvis absurdà, mentis conscientià, idem suboriatur malum, ac oriretur ex reali contagio; i. e., ne ex apprehensione fiat casus. Non valet, inquam: si quidèm ex dicendis æque constabit, apprehensionem Phthyseos non producere Phthysim, ac constabit, vulgarem de contagio Phthyseos ideam esse prorsùs inanem. Pro quibus ad hominem ostendendis præmittere juvat.

§. III. *De naturà, atq. varietate Contagij pauca.*

15. Si quis morbus, a quovis seu spatio, seu corpore animato, vel non animato talitèr emanet, ut modico temporis decursu, vel omnes vel etiam plerique, sub eàdem sphæra constituti, & paulò ante incolumes, eodem specificè morbo corripiantur, vera contagionis idea habetur.

16. Contagium ita descriptum, ac ad homines contractum, aliud est Personale: Quo scilicèt alter, ab altero homine, quomodocumq. dimanante, inficitur. Aliud Reale: Quod a rebus, extra hominem constitutis, utputa ab athmos-

mosphærà, mercibus transmarinis (*), &c. infectis oritur quidèm, sed inficit eumdem eàdem specie morbi, quo inficit alios, atq. alios, sub eàdem sphærà constitutos. Tertium ex utroq. mixtum. Potest enim utroq. simùl ex prædictis modis infici sanus hactenùs homo; uti accidit in Peste, variolis, &c.

17. Personale rursùs contagium aliud est Hæreditarium, seu ex labe seminali contractum; cujusmodi est variolosum, & esse potest idemmet Phthysicum. Aliud adquisitum, seu adventitium; uti Scabies, Lues venerea, &c. Hæreditarium rursùs contagium potest esse modò legitimum, seu congener; modò verò spurium seu desciscens a suo genere: Sic Scorbutus, Rachitis, &c. in Prole, possunt esse fructus Parentum, modò legitimo Scorbuto, aut Rachitide, modò verò Lue tantùm venereâ (**) infectorum.

18. Hinc etiam intelligitur satis, Quid, & Quotuplex sit Dispositio ad contrahendum contagium; & contra. Qualis In-Dispositio, seu resistentia ad idem contagium. Ex utrisq. enim Alia est proxima; Alia verò remota; quæ per se patent. Alia Hæreditaria, seu massæ seminali insita; uti variolosa in homine, variolas nunquam perpesso: contrà verò in homine eisdem jam semèl functo. Alia Idiopathica, seu potius adventitia; i. è. ex aggregatione elementorum, massæ originali extraneorum orta; Qualis est Dispositio, vel contra, ad morbum A, B, &c. Spora-

l dicè

(*) De quib. tamen, utrùm revera inficiant, necne, uti vulgò traditur, utpotè proprijs observatis destitutus, nec inficior.

(**) Quamquàm id rarò contingat: Quod cave pro meritì utplurimum tuendà famà similium Parentum.

dicè grassantem; & uti etiam est Pestis periodica constantinopolitana, quæ non ampliùs inficit hominem indigenam, qui jam semèl emensus sit primæ contagionis palæstram.

19. Prætereà contagium in specie, seu singillatim sumptum, aliud est Vehemens, efficax, energicum, seu completum; Quod nempè æquè invadit hominem prædispositum, ac secùs: imò, quod eà pollet inficiundi vi, ut simùl & inficiat jam dispositum, & disponat infectioni non dispositum. Tales sunt pleræq. variolæ confluentes, nonnullæ Pestis, Scabiei, Luisq. venereæ species. Aliud contra Leve, refractum, iners: verbo, Incompletum. Quod nempè, quamvis invadat, non tamen inficit nisi dispositum. Sic plures morbi Epidemici, atq. contagia discreta, variolosa, morbillosa, &c. passim relinquunt intactum unum, vel alterum, quamvis sub eàdem sphærà activitatis, ut ajunt, positum.

20. Nota. Pro præmissà hic loci habeto notitiam, quod inter morbos Phthysicos, seu mavis, Tabis nomine vulgò donatos adsunt plures, origine, atque naturà valdè inter se diversi, uti Scorbutica, Venerea, Chlorotica, &c. etsi plerumq. in ultimo saltèm morbi stadio Pulmones ipsi, labe aliundè conceptà, inficiantur; sicque vitæ ægrotantis sub Tabis, Atrophiæ, vel marasmi nomine finem imponant (*). Jam verò infame Contagij nomen Phthysi tantummodò Pulmonari, seu Pulmonibus, ab origine infectis specialiter inustum esse videtur; de quo proinde hic agi-

(*) De quo vid. Christoph. Benedictum, nobilem elapso ævo Londin. Clinicum in opere, cui tit. Theatrum Tabidorum.

agitur; ac asseritur, Nullo ex præd. modis, præter unum contagium Hæreditarium, esse Contagiosum.

§. IV. *Explicatur nodus Controversiæ.*

21. Si moroso contemplari subeat animo hujus argumenti meditullia, alia supersunt, & contagij, & dispositionis ad contagium, genera, seu semina, magis transcendentia. Pro quo notandum paucis: Quod, sicuti omnes homines habent dispositionem aliqualem ad quemvis morbum, ita pariter nullum omninò existere morbum, viribus contagiosis penitùs destitutum; cujus nempè elementa morbosa, exhalatione, vel aliter, non sint hominem, cæteroquin sanum, inficiundo idonea: Quod & hum. corporis structura, & vivendi leges luculentèr ostendunt; quodque in eodem saltèm probabilitatis gradu cum Attractione universali Newtonianà collocandum videtur.

22. Quocircà passim evenit, homines quoquo modo inter se consuescentes, maximèq. vel eodem tecto, vel eàdem vivendi methodo utentes, citiùs, vel seriùs alios post alios eisdem ferè morbis corripi. Nihilominùs nemo hactenùs excogitavit, de condendis legibus, neu de incutiendo metu hominibus, ne consuescant cum sibi similibus, sivè eorumdem malorum consortibus: Utpote quia in eodem ferè sensu, atq. prudenti ratiocinio, tàm Bona, quàm Mala sunt contagiosa. Ingenita itaq. censenda est in omnibus hominibus, imò & viventibus, prædicta contagionis vicissitudo, &, quasi dicam, reciprocatio.

23. Dum inquiritur ergò de contagio morbi Phthysici,

nullatenùs quæritur, utrùm insit eidem prædictum universale nocendi genium: Utpotè quia talem noxam è vestigio emendare consuevit natura sagax per vicem contrariam, quæ ideò præstò est in cunctis viventibus. Verbo: Non disceptatur hic loci; Utrum, & qualitèr inficere potens sit seu Physicè, seu mavis, etiam Metaphysicè (*), morbus Phthysicus sive aerem, sive corpora, seu eminùs, seu cominùs posita: Sed utrùm de Facto consueto inficiat, infectiq. observentur homines integri, cum Phthysico consuescentes, Infectione specificà, sivè ejusdem cum inficiente generis; uti accidit in Lue venereà, Peste, Variolis &c. Quæ ideò monita sunto, ne cavillis æternùm duraturis pandatur campus; quod, sicubi aliàs, certè in re medicà nefas est.

24. Jam verò tanti valet scopus præsentis inquisitioni s. nimirùm proferre talia momenta, vulgatissimam de contagio morbi Phthysici opinionem collidentia, ut perspicuum fiat omnibus, eadem seriò ponderantibus, talem opinionem esse omninò detestandam. Quoniam autem argumenta utrimq. partium in posterùm alleganda, ejusdem fermè sunt denominationis; qualia sunt: auctoritas; exempla; Experientia; Judicium reflexum, & alia: ita pariter & a nobis ostendetur ludibrium inanis Phantasmatis ex col-

(*) Novi Rec. totum anhelum, ut nobis persuadeat Contagium Phthysicum longo syllogismo argumentorum Anatomico-Chymico-Physicorum; quibus ostendat viam, quam servant, vel servare possent effluvia Phthysica in inficiundo homines secùs sepositos; Dùm intereà Experimentorum, seu Factorum est propè jejunus. Quæ tamen via quàm longè absit a Lineà tangente ver m in arte medicà, ostensum est satis ad Elementa critic, a num. 4. in posterùm.

collatione omnium horum capitum: Exordiendo processum a pereleganti Summario, seu voto Do. Ant. Cocchi„ in Academiâ Medico Florentinâ cel. Collegæ; Quod nomine totius Collegij exhibitum fuit pro normâ publicæ incolumitatis Mag. Ducatûs Etruriæ an. Dni. 1754. (*). Quod ab autographo Italo in Latinum sermonem fidelitèr translatum, ideò exhibemus in capite hujus processûs, quia & verisimiliores causas, atq. progressum morbi Phthysici exactè admodùm demonstrat; & quia momenta utriusq. partis acritèr exprimit, atq. perstringit: tandemq. appendice, seu cautelis, ad quæsitum votum appositissimis, Legationem absolvit; uti sequitur.

§. V. *Votum Academiæ Medico Florent. circa Contagium Tabis Pulmonaris.*

25. Rogatum fuit a Cl. Magistratu Sanitatis Etruriæ Collegium medicum Urbis Florentiæ ut ediceret„ Quænam res forent magis, vel minûs idoneæ ad contrahendam malignitatem morbi Phthysici; & quænam cautelæ adhiberi possent pro purgandis, expurgandisque materijs, atq. suppellectilib., quibus aut usi sunt, aut saltèm in vicinia existunt eorum, qui hunccine morbum subierunt?„

26. Ad meliorem cum intelligentiam, tum resolutionem propositæ quæstionis, scire, atq. meminisse oportet, naturam Phthyseos, seu Tabis Pulmonaris, nihil esse aliud nisi Suppurationem, sivè ulcus partis cujusquam tenelli vi-

(*) Prostat inter reliq. ejusd. A. opuscula sub tit. Discorsi Toscani Florentiæ 1761. To. II. Discor. IX.

visceris Pulmonum ; qualis suppuratio oritur in corpore vivente ab stagnante ibid. portione quapiam humorum naturalium , ac præsertim Sanguinis, & Seri : qui tandiu remanent ibi immoti , donèc solvantur, atq. corrumpantur : indeq. erodunt, atq. dissolvunt vasa eosdem continentia, commiscendo cuncta in uniforme quoddam, atq. glutinosum liquamen , quod vocatur Purulentum .

27. Stagnatio hæc sanguinis, ac seri facilius evenire potest in Pulmonibus, quàm in quovis alio viscere : quoniam per solum Pulmonem circumire , seu fluere oportet, & quidèm velocitèr, atq. circulatione peculiari , & angustiori , quàm alibi , universi corporis sanguinem : idque ope dilationis , atque elateris vasorum structuræ admodùm diversæ ; aereorum nempè .

28. Plurimæ esse possunt causæ influentes ad alterandam densitatem,atq. miscellam sanguinis, simulque actionis vasorum Pulmonis : unde oritur motùs tarditas , seu mora ; indeq. inflammatio , plus minusvè gravis; indidemque Suppuratio . Unde est , quod ubiq. locorum Tabes Pulmonaris sit morbus frequens præ reliquis popularibus chronicis , seu lentis .

29. Præter causas intimæ constitutionis fabricæ cujusvis corpori peculiares, ac prætèr errores , casusve fortuitos , ab extrà invectos, quæ sparsim generare valent hunc morbum in varijs hominibus , aliæ etiam prostant causæ , magis communes , quæ non semèl reddunt eundem frequentiorem in quibusdam cœtibus , atque familijs : atq. etiam inter incolas præcisè quarundam Urbium , atq. Provinciarum: Quarum prima est Dispositio quædam Hæredi-

ditaria ; i. e. Similitudo fabricæ corporeæ cum Parentibus adeò intima , ut transcendat partes minimas , atq. intimas ejusd.corporis. Altera est similitudo victùs, seu ciborum, qui apti sunt ad inducendam acrimoniam, solutionem , & glutinosam quandam cruditatem in humoribus circulantibus .

30. Causa deniq. omnium communior est aer ita dispositus , ut eodem tempore inducat in pluribus Catarrhos , & Tusses : quæ profectò æstimari possunt veluti gradus infimus Inflammationum Pulmonis: & si negligantur , deveniunt sæpè Phthyseos veluti rudimentum : Uti nos ipsi pluriès vidimus ; uti etiam admonuit primus Præceptor noster Hippocrates ; cum Lib. de morbis internis , & aliàs , statuit pro causà primæ speciei Tabis Pulmon. Pituitam , quæ a capite descendit ad pectus . Idem singillatim observavit Sydenhamus in specimine valdè æstimando , quod de hoc argumento nobis reliquit .

31. Ratio autem hujusmodi transitus a catarrho in Tabem , obscura profectò apud veteres , hodiedùm ostenditur manifestè : Quandoquidèm notum est , membranam Pituitariam , cavitates narium, oris , sinuum ossis frontis, maxillarumq. obvelantem, dùm inflammatur , esse veram Catarrhi sedem. Hæc autem ipsa membrana , cum producta sit per totam superficiem internam asperæ arteriæ: indeq. per omnes ramulos , seu canales , per quos vehitur aer intra Pulmones , inflammatio ejusdem propagari potest per vasa aerea Pulmonis ; ibidemq. producere Peripneumoniam mitem, quæ appellatur Bronchialis : Quæ , ni resolvatur, facilè transit in Suppurationem partialem ,

seu verum Tabis initium. Atq. hoc pacto intelligitur veritas, atq. necessitas constantis frequentiæ Phthysicorum, quæ observatur quandoq. tempore, & loco simùl ejsdem.

32. Attamen, cum difficile sit nosse genuinas, atq. individuas morborum causas; easque discernere a fortuitis, adiaphorisque circumstantijs, nihil mirum si in mentes hominum inciderit opinio, Quod Phthysis, seu Tabes Pulmonum propagetur per contagium. Circa quam verò maxima invenitur varietas apud medicos; orta forsitàn a diverso numero casuum contingentium, in quibus unusquisq. pro suo modulo expertus est, se invenisse veri-tatem.

33. Et in primis AA. nonnulli asserunt præd. Phthysicorum contagium; seu potiùs idem supponunt, sequendo Popularem fidem; etsi restringendo illud ad eos tantummodò, qui inspirant cominùs, aut continuò aerem efflatum a Pulmone infecto. Commemoratio forstian omnium vetustior hujusmodi contagij, quæ reperitur in libris, prostat penès Isocratem, Oratorem Athenien. in orat. Æginetic.: Ubi de quopiam, qui adstiterat Phthysico (indè defuncto), narrat; Ejus amicos dissuasisse eundem ab hoc officio; Ex eo quod plures ob hanc rem perierint. Quamquàm ex non contracto ullo malo ab hoc homine ex assiduà consuetudine cum tali ægroto, patuit abusq. illo tempore vulgaris opinionis incertitudo.

34. Paulò post locutus est Aristoteles de hac re in suis Problem. ad artic. 8. Sect. VII.: Ubi equidèm conjungit Tabem cum Ophthalmia, æquè supposità ab ipsomet contagiosà. Quamquàm verò Patre medico natum, non videtur, eum exercuisse unquàm medicinam; sed solummo-

modò se delectasse in scribendo de eàdem : Unde ejus in re præsenti auctoritas caret adhùc eo pondere, quo gaudet in rebus Physicis, atq. Historiæ naturalis . Aristotelis verba relata fuerunt post quinq. ferè sæcula ab Alex. Aphrodisien., vel quisquis est auctor Problem. medicorum, atq. Physicorum, quæ prostant sub ejus nomine .

35. Galenus inde, recolens eandem Aristotelis sententiam, ejusdem vim paulò mitigavit, innuens tantummodò ad init. Lib. 1. de Febribus „ Adesse periculum excitandi Febrim in conversando cum Phthysicis per dies integros : atq. in genere cum his omnibus, qui Putridum expirant ; & in quorum cubiculis pravus percipitur odor „ Quæ verba comminiscens Jacobus Sylvius, doctus Parisien. medicus, animadvertit, Tabidos non offendere cunctos cum ipsis consuescentes, sed tantummodò eos, qui præditi sunt Pulmonibus corrosioni aptissimis .

36. Ballonius, Parisien. paritèr Medicus, Consultat. 17. Lib. 1. disertè deplorat magnam Tabidorum in ea Urbe frequentiam, ac improbat consuescere cum eisdem : innuit tamen, se credere paritèr ophthalmiæ contagium . Ita sanè Riverius autumat contagiosam consuetudinem cum Phthysicis, maximè consanguineis . Et Mortonus Anglus, qui tractatum edidit de hoc morbo, in tres Lib. divisum, innuit tantummodò, cum inficere illos, qui dormiunt simùl in eodem lectulo, adinstàr febris maligñæ . Ac simili pacto restringunt contagium Phthyseos plures alij AA. Practici .

37. Altera autem classis est Auctorum, qui contrà latè extendunt venenum Tabificum usq. ad vestes, suppel-

le-

lectilia, atq. parietes. Hujusmodi opinionis Promotor omnium vetustior videtur fuisse Hieron. Fracastorus, qui anno 1546. scripsit, jam senex, tractatum De morbis contagiosis; inter quos Phthysim adnumerat, asserens „ Nedùm consuetudinem cum Phthysico esse periculo plenam; verùm, Quod semina contagij, a corpore infecto exhalantia, conservantur tenacitèr ultrà biennium in vestibus, stragulis, tectis, atq. fornicibus cameræ, ubi mortuus fuerit Phthysicus „

38. Auctoritas viri adeo illustris videtur certè satis valida: attamèn absq. injuria famæ variæ ejusdem, atq. elegantis doctrinæ, animadvertendum est, eum in suis operib. ostendere magnam propensionem credendi quædam incredibilia; maximè in opere, cui tit. De Sympathiâ, atq. Antipathiâ, quod proximè adjunxit prædicto De Contagio. Præterquamquod non videtur, in Clinicâ potuisse eum esse satis habilem, cùm magnam vitæ partem egerit in Prædio, & cum Musis. Quid quod ex ipsâ methodo curandi Phthysim contagiosam ope Unctionis mercurialis, atq. Salivationis ab hoc auctore propositâ, arguitur satis defectus praxeos: diu exercitæ in arte medicâ.

39. Pauci admodùm fuerunt sequaces opinionis adeò rigidæ circà tenacitatem, atq. diuturnitatem contagij Tabis; quorum; unus est Saxonia: Qui tamen addit „ Quod vaporibus malignis, in porositate lignorum, atq. parietum retentis, hauriendis procliviores sunt illi, qui huic morbo aliundè sint prædispositi „

40. Tertia classis est eorum AA., qui apertè dubitarunt de existentiâ prætensi contagij: Quorum unus est

Leo-

Leonardus Giacchini cel. Professor Pub. Pisanus; idemq. præstantis famæ Clinicus etiam in hàc Urbe tempore Cosimi I.; cum decesserit an. 1547. Heic in amplo, magniq. judicij Commentario Lib. X. Rhasis, ad cap. 37. meminit vulgaris opinionis „ Quod ex consuetudine cum Phthysicis contrahatur idem morbus „ cui objicit ipse non parùm difficultatis, indeq. Experientiam propriam, dicendo „ Neminem se hactenùs novisse ex tali contagio mortuum „

41. Denique hoc loco recensentur AA. num. atq. doctrinà præstantes omnium nationum, atq. temporum usquæ ad præsens sæculum. Qui omnes aut dissimularunt, aut tacuerunt morbi Phthysici contagium. Ejusdem non meminit Hippocrates, qui totiès, & adeo scitè locutus est de hoc morbo. Non Aretæus, exactissimus enarrator causarum manifestarum, atq. signorum in morbis. Non Galenus, nequidem ubi pluriès expressè de Tabe agit. Non reliqui posteriores AA. Græci: Non Latini Celsus, atq. Aurelianus: Non Rhasis, neq. Avicenna Arabes: Non Latini Barbari: Non Restauratores medicinæ Græcorum; nequidem hi, qui expressè tractarunt de morbis contagiosis, uti Palmarius; vel qui de eàdem Tabe magis appositè scripserunt, quàm alij, uti Benedictus in suo Theatro Tabidorum. Non RR. magis attenti, atq. doctiores, uti nostras Bellini, dùm agit de Febri Hecticà, atq. Vomicà. Non Sydenhamus: non alij plures: Non deniq. novissimus, idemq. summus ævi nostri magister Boerhavius.

42. In eàdem classe tacentum videntur etiam esse re-

cen-

censendi Sapientes prædecessores hujus nostri Collegij, de quib. nullum prostat documentum, quod quidquam statuerint circa rem hanc; Quin potiùs observatur in genere; Quod eadem popularis opinio circa Tabis contagium est imbecillior in his locis, ubi latiùs dominatur Philosophia Experimentalis.

43. Si autem rationem Physicam spectemus, non apparet credibile, effluvia purulenta esse perniciosa, nisi quatenùs apta sunt penetrare in sanguinis massam circumstantium, sanitate gaudentium, ope osculorum venarum absorbentium externæ corporis superficiei; seu mavis, ope cavitatum patentium narium, faucium, atq. vasorum aereorum Pulmonis. Id autem non videtur contingere posse, nisi quatenùs hæc eadem effluvia, ex minimis particulis composita, remanent volatilia, seu in aere fluctuantia; secùs verò, si fuerint fixa, sivè adhærentia alicui crassæ materiæ; ubi profectò citò desiccabuntur, atq. terrestrem indolem adquirent: contrà verò illa, per aerem respersa, perpetuò effugient a se invicèm, diluentur, atq. dissipabuntur, elevando sese in aera, oppidò sublimiorem, quàm ut inspirari queant ab homine: unde nullatenùs nocere poterunt.

44. Inde est, quod si vélimus adquiéscere silentio tot præstantium virorum, atq. incuriæ veneni adeò incerti, tuto consilio admitti posset sola illa moderata opinio (*); Quod nempè talia effluvia poterunt forsitàn nocere, cum ad-

(*) Ità sanè, si de Opinione, imò etiàm Demonstratione quapiam Scholasticà hic ageretur: At longè valentiora sunt momenta hic æstimanda, uti monuimus sup. n. 10., & videbimus infrà.

adhùc sunt recentia, & actu sparsa in notabili copià per circumstantem aerem, atq. fluxè inhærentia penès superficiem illarum rerum, atq. suppellectilium, quæ afflatui, & exhalationib. corporis ægroti proximè fuerunt exposita.

45. Sub hac hypothesi, quæ videtur esse & moderatior, & rationabilior, atq. simùl satis tuta, proponere juvat per modum consilij cautelas quasdam, quibus utantur hi, qui Phthysicos tractant, aut incolere continget loca, ab eisdem relicta; aut tandèm uti suppellectilibus, quæ extitere propè eosdem Phthysicos.

46. I. Itaq. maximè expedit, degere Phthysicos in amplo conclavi; eoq. ad Solis seu ortum, seu meridiem probè ventilato; præsertim tempore hiberno: Quæ habitacula oporteret, ut semper essent munda, ac frequentèr expurgata, aperiendo debitis temporibus fenestras, atq. parando liberum transitum aeri novo, neu suffocando eundem januis semper clausis: Cum pluries expertum sit, aerem stagnantem augere valde quamcumq. putrefactionem: unde certò nocet ægrotis, ac potest æque nocere circumstantibus. Possunt haberi præterea in cubiculo flores, atq. folia recentia suavis, ac aromatici odoris: Cum pariter expertum sit, putrefactionem retardari ex miscellà particularum præd. indolis; & quod effluvia, ex plantis aromaticis avolantia cum principijs putridis commixta immutant sanè horum vim, atque naturam.

47. II. Lectulus Phthysici deberet esse valde mundus, mutatione frequenti nedum linteaminum, verùm & integri straguli; asportando ægrum in alium lectulum propè locatum; exponendoque aeri, atq. reficiendo vicissim alterum lectulum toto tempore usùs alteriùs. III.

III. Ægrotus non expuat nisi in vasis aut vitreis, aut figulinis vitreatis; quæ & mutari frequentèr, & rite mundari debent. Ita etiam reliq. sordes abstrahantur protinùs a cubiculo.

IV. Ad linteamina, quibus usus est Phthysicus, expurganda sufficit una, vel altera lavatio cum arenà, sapone, communi lixivio: uti etiam suppellectilia lanea lavari apta; atq. tum stragulorum, cum cervicalium integumenta: eluendo, atq. quatiendo lanam, eamque explicando ad auras: quod idem intellige de plumeo stragulo.

48. V. Tam vestium, quam peristromatum omne genus, lavacro ineptum, sufficiet expandere ad auras: indè excutere, atq. tergere superficie tenùs cum linteis mundis.

VI. Suppellectilia lignea, ac metallica aut lavanda, aut mundanda, aut abstergenda congruè; itidemque vasa omnia, & instrumenta.

VII. Cubiculi solum lavandum, & paries dealbanda per totum, in cubilibus parvis; in amplis autem sufficiet dealbare usquè ad altitudinem, hominis staturam paulò superantem. In cameris, scamnis, atq. tectis non videtur necessaria peculiaris operatio: cum effluvia de quibus metuitur, dato etiam, quod inibi existant, non sint apta ex suà naturà descensui per aera, sed contra potius adscensui, usq. ad dispersionem per immensa spatia.

49. Hæ cautelæ sunt plusquàm sufficientes pro cavendo quovis contagij Phthysici periculo, uti ostendit quotidiana Experientia omnibus medicis, atque chirurgis, qui omne genus ulcerum, atq. ipsius pectoris abscessum impunè tractant in ipsis usq. Nosocomijs, quoties sunt probè directa, ac utantur cautelis hactenus propositis: Uti eve-

nit in cel. nostro Nosocomio S. Mariæ novæ: ubi Phthysici & admittuntur, & curantur promiscuè; quin propterea nemo observaverit unquàm propagationem hujus morbi per contagium, neu in assistentibus, neu in ægrotis, de novo succedentibus.

50. Neque verò eædem cautelæ reputandæ sunt supervacaneæ: quinimò proficuum foret, ut fierent communes etiam in reliquis morbis; servato utiq. prudentiæ modo juxta varias circumstantias: cum certissimum sit, unam ex frequentioribus causis citæ propagationis morborum perniciosorum in populo esse immunditiem: Et contra Experientia ostendit ubique, nedùm in domibus privatis, verum & Urbibus, atq. integris nationibus, communem sanitatèm eo esse magis extensam, atq. constantem, quo major est mundities.

51. Sed ad hoc ut fiat utilior, simùlq. efficacior proposita methodus pro minuendo periculo Tabis Pulmonaris, ante omnia oporteret monere populum; De causis hujus mali certioribus; Quales sunt impulsus nimij Pectoris, atque vivendi errores; præ primis autem Defluxiones, ac Tusses, incautè adquisitæ, atq. stultè neglectæ. Quæ, quotiès non sunt ritè curatæ ab initio suæ manifestationis aut in capite, aut in faucibus, extenduntur posteà usq. ad Pulmones ob continuationem canalis.

52. Cum autem ex acris aut nimis frigidi, aut nimis humidi constitutione, aut ex incuriâ eidem sese exponendi, præpeditur diaphoresis seu Pulmonum, seu cutis, ne ritè excernantur a corpore volatiles variorum humorum particulæ, exindè præcisè incipit corrumpi eorundem mas-

massa ; quorum proindè pravitas ; cum non fuerit opportunè emendata , producere consuevit ægritudinem quamvis putris generis: unde oritur pluries aliquale vitium Pulmonis , absq. ullo sanè interventu contagij .

53. Phthyseos itaq. contagium nec est adeò certum , nec adeò pertinax , atq. inemendabile , uti alicubi vulgò creditur . Cui proindè opinioni oportet , ut vera , atq. Philosophica medicina sese opponat ; cujus munus est , minuere afflictiones hum. generis , tollendo sanè metus inanes , atque superfluos . Ità censeo , &c.

Michael Angelus Targioni , &c. &c. sequitur subscriptio reliqq. Collegarum ; paulò infrà : consequenter ad præd. Consultum , &c. Senatus Imperialis regiminis quo provideat incommodis , quæ , &c. mandavit Decreto 11. novembris 1754. integram observantiam Præcautionum , uti suprà , &c. &c.

54. His addi possunt quæ acta sunt diu posteà in curiâ Neapolit. : Scilicet sub die 24. Januarij 1784. injunctum est Tribunali Sanitatis Regni Neapolis mandatum regium , cujus sensus erat . Quod Rex admonitus a suo Legato , residente Florentiæ , De mox susceptà providentiâ a Mag. Duce Etruriæ ex voto medicorum propriæ curiæ circa morbum Phthyseos , jubebat , Ut designaretur Senatus virorum num. 12. in medicâ facultate præstantium , qui examinarent quæstionem de contagio Phthyseos : Inter quos adeò disceptatum est , ut media pars abierit in sententiam , contagium affirmantem , altera verò in negantem ; eo tamen argumentorum pondere priori præstantem , ut idem Tribunal decreverit : instabilem esse vulgi

ye-

veterem de contagio Phthysico timorem, indeq. abrogari legem, qua jubentur medici denuntiare de his, qui in posterùm obibunt ex morbo Phthyseos &c. (1).

§. *VI. Momenta Contagij patronis adversa in præced. voto allegata, magis, magisq. roborantur.*

55. Ex productis hactenùs liquet, momenta, quæ allegantur pro existentiâ contagij Tabis Pulmonaris, esse levissima, si conferantur cum contrarijs, sive cum ijs, quæ militant pro ejusdem incertitudine. Ut autem idem luculentiùs pateat animadvertendum, quod morbi illi, quos tota vetustas habuit pro contagiosis, protinus ac eruperunt in orbem terrarum, pro talibus habentur adhucdum absque ullâ opinionum varietate, æque ab annosis, ac tyronibus clinicis. Sic a multo jam ævo ne ambigitur quidem inter prudentes viros, Variolas, Scabiem, Luemque veneream, quamquàm Phthysi recentiores, esse tamen morbos contagiosos.

56. Liceat igitur Philosopho, cui placet, inquirere posthàc, De indole contagiosâ morbi cujuspiam in populo rari, utputa Elephantiasis, seu Lepræ; De quo nimirùm, utpote apud nostrates oppidò singulari, pauci admodum ex autopsiâ testimonium reddere valent (*).

(1) Ità Folia Period. Florent. sub die 17. Februarij 1784.

(*) Lepram veterum exactè descripsit Celsus Lib. III c. 25. De eâdem pulchrè Aretæus De causis, & signis morbor. Lib. II. Interea neuter eorum asserit, eam fuisse Contagiosam, uti vulgò creditur. De quâ paritèr infamiâ eluit eundem morbum Rec. Clinicus Bosquillon in Comment. Do. Cullen ad numer. 1814. Part. III. Lib. III. cap. 3. adlegans Do. Raymond Histoire de l'Elephantiasis, &c.

De Phthysi enim verò, morbo nedum nostrate, verùm etiam ubiq. gentium, atq. oppidorum frequentissimo, utrùm contagiosus sit, necne, probrosum videtur arti Clinicæ, simulque criticès cultoribus jam ampliùs quærere. Exemplis, proh dolor! omnis generis scatet oppidulum quodvis: Conferantur attentè, expendantur circumspectè, & sufficit pro decernendo negativè (**).

57. Respondebis „ Ideò non ambigitur, sed asseritur morbi Phthysici contagium; Quia ab incunabulis, a nutricibus, sodalibusque, a communi denique hominum sensu hausimus eundem cogitandi modum circa Phthyseos Contagium, ac circa Scabiem, Variolas, &c.: indequè standum est æquè pro unius, ac pro alterius existentià. Esto: sed insurgo: Æquè pariter hausimus a nutricibus, indoctis sodalibus, atq. verbosis senibus, existentiam, imo frequentiam in populo Lamiarum, Lemurum, Sagarum, & plura alia: Quæ tamen jam eruditi, & prudentiores effecti, respuimus, atq. irridemus.

58. Malè igitur allegatur auctoritas vulgi perperàm eruditi, pro existentià, vel secùs cujusvis contagij. Quinimo

(**) Unde Do. de Carolis n. 8. sup. laudatus, suam adv. prætensum Contagium redargutionem redigit ad computationem arithmeticam; hoc pacto„ Quamquàm omnes aliæ deessent contrahendæ Phthyseos causæ; si tamen contrahitur per contagium in sensu vulgi, concedendum mihi, quod inter plures pro ministrando singulis Phthysicis designatos, duo saltèm inficiantur eodem morbo: Pro eisdem curandis inter Decem v. gr. necessarios, inficientur saltèm Quatuor: ro ijs curandis, Octo: Pro his, Sexdecim: Pro quib. curandis, inficientur saltèm alij 32., & sic deinceps. Quibus stantibus, intrà brevem Olympiadum periodum, quævis frequentissima Metropolis redigeretur in eremum „ Hæccine L. A.

imò malè etiam allegatur auctoritas unius, vel alterius medici, etiam eruditissimi, pro existentià Contagij, non utcumq., sed morbi passim obvij,qualis est Phthysis; de quo scilicèt datur omnibus experiendi copia: idque maximè in conspectu aliorum, & numero, &dignitate præstantium; qui vel respuunt, vel tacent prætensum contagium in morbo, cujus naturam, atq. multiplex genium observandi, atq. discernendi major copia, studium majus, ingenium acrius elucet palàm in negantibus, quàm in affirmantibus idem.

59. Ut enim omittam AA. in præmisso consulto laudatos, supersunt plures alij, hique admodum graves, qui post editum hocce consultum claruerunt, atque vel tacitè, vel explicitè, de quo parùm interest, uti jàm jàm demonstrabitur, negant Phthysicum contagium. In hac veluti Hierarchià connumerari possent innumeri ferè in transacto 40. & ampliùs annorum spatio per totam Europam observationum medicarum sivè auctores, sive extensores. Nos autem contenti erimus, hic allegare paucos, qui hàc nostrà ætate ex investigatione ærumnarum corporis humani, ex vastitate ingenij, ex nobilitate studiorum, atq. rectitudine morum, debitam ubiq. nominis celebritatem, indeq. auctoritatem (*), consecuti sunt.

60. Cujus ordinis sunt Primo; Frider. Hoffman (**) Borussiorum; 2. Jo. Baptista Morgagni Italiæ; 3. Wan

(*) His notis commendatur auctorum gravitas ap.Melch. Canum, De Locis Theolog. Lib. X. cap. 3.

(**) Neq. tamèn nostri miasmatis naturam talem esse censeo, ait ipse To. IV. Parte IV. cap. 11., Ut a longinquo, & subitaneo quasi impetu hominem inficiat, sed tùm demùm, siquando propinquiùs &

Swieten (*) Germaniæ ; 4. Do. Tissot Helvetiorum; 5. DD. Sauvages, atq. Lieutaud Galliarum ; 6. David Macbride Angliæ, &c. medicinæ sydera. Quorum singuli, quamvis ex professo tractaverint de morbo Phthysico, ejusque causis, ne unus tamen seriò recenset inter easdem prætensum contagium. Igitur illud omnes uno ore apertè excludunt, indesinenterq. negant: Ex eo quia omnem tergiversationem excludat rectitudo hujus formulæ „ Agendo, atq. Recensendo causas morbi Phthysici, Tacent contagium: Ergo Negant„ Quid enim magis in arte medicà stultum, quàm inquirere de causis morbi cujusquam, & tamen silere, vel dissimulare causam præcipuam; qualis casu nostro supponitur contagium ?

61. Ita sanè sive laudati, sive reliqui artis Præceptores, quotiès agunt de Lue venereà, Variolis, Peste quacumq. neutiquam dissimulant ; quinimò in ipso tractatùs vestibulo inquirunt de Contagio : utrùm nempe extiterit, & quale illud fuerit? Quid quod agendo de eàdem Phthysi, sedulò quærunt de contagio, seu labe Hæreditariâ, utpotè suspectâ inter alias Phthyseos causà ? Et meritò ; ne, secùs agentes, truncùm potius morborum Sceleton, quàm seriam eisdem occursandi rationem tradere videantur.

62. Ratum igitur esto ; Silentium auctorum de contagio,

continuò cum Phthysicis conversetur. Hactenùs quidèm A. loc. cit.; Quibus tamen paulò ante præmisit alia, popello in hac re minùs blandientia, ubi videsis.

(* Hic etiam, cum ait Comment. §. 1206. „ Mali aliquid ab halitu deploratorum Phthysicorum metuendum videtur „ longè abest ab asserendo prætenso Contagio; uti palàm demonstrat in animadversione ad n. 1. seq. aphor. expressà ; ubi paritèr videsis.

gio, quoties inquiritur de causis prædisponentibus morbi adeò familiaris, qualis est Phthysis, non esse Dissimulationem utcumq. sed absolutam Negationem contagij in quæstione. Et hactenùs de momento auctoritatis: ex quo satis evictum puto, morbum, quem dicunt Phthysim, non inficere per contagium.

Superest, ut agatur de altero momento, eodemq. in re medicà maximo; quod est Experientia: Hæc enim est Lydius quasi lapis, omnium idoneus, ad discernendum verum a falso a præjactà controversià. Cujus effati luculentum argumentum illud est, Quod omnes contagij Phthysici sive Impugnatores, sivè Patroni, ad Experientiam provocant. Ad rem vero quis quid afferat, accipe paucis.

§. VII. *Hallucinatio Contagionistarum, ad Experientiam provocantium, facilè demonstratur.*

63. Morbum aliquem esse, vel non, contagiosum unius ad alterum, non pendet ex alternà successione eorum; sed unicè ex influxu tali unius ad alterum, ut ex virtute illius oriatur hiccine effectus: Cujus aut nullum datur tutum argumentum; aut si datur, illud est maximè ex criterio rationis hauriendum; disgregantis nempè actuosum influxum a fortuità successione eventuum. De quo satis in Elem. Critices. Ex quorum neglectu, morbus Phthysicus reponendus utiquè fuerat inter Contagiosos: Quia promiscuum vulgus de rei cujuslibet naturà ad oculum fermè judicat; altiorem ejus indaginem plerum-

rumquè horret; contentusq. primo sensuum attactu, ad Experientiam provocat. Quod in re nostrà facillimum fuit.

64. Tria siquidem circa contagium Phthyseos sunt vulgò famosa. Primum: Quod in quibusdam familijs unus post alterum plures Phthysi consumuntur, dum in alijs vix nomine notus est hic morbus. Alterum: Quod in domibus, quæ promiscuè locantur, ubi defunctus est Phthysicus, novus incola superveniens eodem morbo corripi non semèl observatur (*). Tertium: Contigit pariter aliquotiès, ut non nemo, postquam usus est vestimentis, atq. suppellectilibus, a quopiam Phthysico, seu domestico, seu extranco mutuatis, Phthysi tandem corripiatur. Hæc, inquam, & alia his similia non semel experta est antiqua, & passim proh dolor! experitur recentior ætas. Quæ quasi præordinata calamitas unius præ alià domo, familià, sùppellectili, & undenàm, quæso, nisi ex contagio proveniat.

65. Verùm ex hoc malè infertur, has familias, domos, suppellectilia, &c. sublatas, corruptas, infectave fuisse ex contagio Tabifico, seu Personali, seu Reali, de quibus tantùm agimus modò: poterant enim èx alijs causis, longè dissitis, hæc eadem incidisse: Ex frequentià quippe, atq. simùl

(*) Quinimò idem porrò contingere cum alijs, atq. alijs ejusdem domùs, cameræve incolis, de novo succedentibus, querula exempla vulgò traduntur. Ex quo tamen, si dealbationes, aliasque innovationes, in domibus denuò locandis præire solitas, seriò expendamus, fatalem potiùs, quàm Contagiosam hujusmodi domum meritò dixerimus. Contagio profectò Varioloso, quod Phthysico indelebilius habetur ab omnibus prudentibus, tantam infamiam nemo hactenùs, quem sciam, inurere ausus est.

mùl attactu effluviorum morbosorum a plurib. eodem morbo in posterùm correptis, arguere non licet, alterum ideo ægrotare, quia infectus est ab altero. Sic ex eo, quod in eàdem vicinià, vel etiam domo plures successivè corripiantur Tertianà febri, Anginà, Tussi, Erysipelate, &c. malè argueretur, hos morbos esse contagiosos.

66. Quod si non satisfacit, rogo, a quanam causà, cujusvè contagione primus ex præd. familià Phthysim contraxerit? A pravo, inquies, proprij corporis habitu, aut a commissis in vità erroribus. Mactè responsum. Idem igitur dictum esto de reliquis ejusdem, vel alterius familiæ Phthysicis. Nec obstat paritas ex inconvenienti, ut ajunt, aliarum contagionum, ut puta Scabiei, Luis venereæ, &c. De his quippe palam constat è re natà, esse morbos contagiosos; secus de Phthysi. Undè verò? inquies; Resp. Indè præcisè, quod, si cubes cum Scabioso, aut coeas cum Siphylicà, uno, vel altero, vel sattem paucos post dies, Scabiosus evades aut Siphylicus. Nihil horum spondebis de Phthysico.

67. Itaque non renuo calamitosa exempla pluriumPhthysi consumptorum post consortium qualecumq. cum alijs Phthysicis: recuso tamen allegatam criminationem Contagij; ubi allegandæ fuerant aliæ causæ pro incunabulis tanti mali: Quarum prima est Hæreditaria labes, qualiscumq. & maximè omnium ipsamet Phthysica, a parentibus proli inusta: Ex qua, in progressu ætatis ritè non emendatà, valdè periclitantur hæredes. Altera est Distillatio Pulmonaris Hippocratis, vulgò Tussis catarrhalis, facilè contracta, leviter neglecta, clanculùm provecta,

acris

acris paulatim reddita, universum, sanguinem aduren̄s, Pulmones depascens, Phthysica tandem effecta. Tertia est labes, seu Lues venerea, quæ furtim adquisita, studiosè celata, vel etiam præposterè tractata, atq. in Pulmones retropulsa, ibidem producere consuevit Phthysim Celticam, desinentem in consumptionem, seu mavis, combustionem miseri delinquentis, uti experimur passim.

68. Ratum est igitur, non esse idem „ Post concursum effluviorum Phthysici, Phthysi corripi aliquem, ac ex eorum contagio corripi „ Ad hoc etenim probandum opus erat, non tantùm nonnullos, i. e, modò unum, inde vero alterum ex innumeris, in talium effluviorum congressu versantibus, sed eorum plures eodem morbo tandem infestari, eandemve fortunam incurrere. Hic enim est character, seu index contagij: i. e, Inficere, si non omnes, saltem plures intra sphæram ejusdem activitatis constitutos; uti cuilibet omnes contagionum, hactenùs cognitarum, species consideranti patebit. Jam vero ex seq. parallelo observationum constabit porrò, Phthysicorum effluvia carere prorsùs energiâ contaminandi nedum plures, verùm neq. centesimum quemq. attingentium, seu attactorum simili afflatu.

69. Exemplar autem paralleli est uti sequitur. Eodem pacto, quo passim experimur, majorem esse numerum Phthysi defunctorum in unâ domo, seu Familiâ, quàm in alterâ, eodem pariter observatur major numerus Phthysicorum in domibus, seu Familijs more nobilium, seu ex alieno labore victitantibus, quam in gente Plebejâ,

seu

seu Rusticà. Jam verò compertum est, effluviorum Phthysicorum haustum, atq. communionem in domibus angustis Plebis esse majorem, sincerioremq. quàm in vastis ædificijs nobilium. Igitur Experientia allegata Phthysicorum ex contagio, mutila prorsùs est, atq. spuria.

70. Quod idem dictum intellige ruditer, & in gratiam Contagionistarum: pressiùs quippe loquendo, in hodiernà civium providentià, communio præd. seu consuetudo Familiarum cum Phthysicis, non datur nisi in domib. Pauperum, atq. in Nosocomijs: ubi nempe dura pauperies cogit plures promiscuè uti angustis laribus; ac vetatur sedulò in Familijs divitum. Liquet itaq. ex hoc parallelo, excessum Phthysicorum in Familijs, seu convictu ditiorum, ac excessum effluviorum tabidorum in Familijs pauperum, contrariam servare rationem, indeq. Contagio repugnantem.

71. At inquies; Phthysicum contagium Pauperes, & Rusticos nonnisi rarò inficere, quia rudiori, facilè vero ditiores, sive ex alieno labore victitantes, quia molliori Pulmonum compage donatos: de cætero effluvia Phthysica raptim disseminari, diuq. inhærere ubivis locorum; eademq. etiam post plurium annorum silentium revivisce-re consuevisse, accedente videlicèt, vel simulàc accedit, & appositè combinatur, ut ajunt, minutulum quodvis incitamentum, ut puta levis catarrhus, sive distillatio ad pectus, &c. uti Experientia demonstrat.

72. Sic „ Veterem in limo Ranæ cecinere querelam „ Georgic. I. Apage itaquè rudem Experientiam: Quinimò redarguendum: Idem hocce minutum incitamentum „

tum, neglectum sane, seu præposterè tractatum initio, quando facilè emendari poterat, esse totale contagium. Quod æquè tangit dura messorum, ac mollia reliquorum civium Ilia. Si autem divites præ pauperibus, cives præ rusticis eo magis efficiuntur, palmaris ratio est. Quia alij præ alijs vivatiora animi pathemata, atq. studia, citio-remve spirituum experiuntur motum; unde vis vitæ ad præcordia vehementior, ad artus contra, atq. periphæriam hebetior habetur; indeq. distillationibus, seu catarrhis, si non facilior aditus, exitus saltem difficilior paratur; atq. ob methodicam, seu mavis systematicam, vivendi normam, valetudinis progressus seu bonis, seu malis initijs constantius in quiescentibus, quàm in exercitis civibus respondet. Quare reliquis etiam morbis chronicis crebriùs infestantur ditiores, quàm pauperes, absq. murmure contagij.

73. Sed quid inde ad prætensam inexorabilem contagij Phthysici virulentiam? Si hæc adeo ineluctabiliter inhæret corporibus quibuscumq. Phthysicum ambientibus, uti ab ignavo vulgo traditur; atque *reviviscit etiam post plurium annorum silentium*: Quare parcit angustis pauperum civium penatibus? Ubi nempe quoties decumbit Phthysicus, pleno gurgite hauritur a cunctis domesticis, atq. familiaribus: sævitque adeò in ditiores; ubi, quasi in desertà eremo, errare cogitur per vastas fornicum ambages? Hæret aqua. Morbi certè reverà contagiosi cujusvis indolis, populariter grassantes, sæpe pluribus parcunt nobilium hospitibus; pauperiorum contra civium, paucis admodùm. Falsum igitur est, quod contagium re-

ve-

verà tale, parcat istis præ illis. Quod si secùs accidit cum Phthysicis, ideo est, quia Phthysica effluvia cuticulam ferè non tangunt; uti observatis mordicùs habitis docemur: Eademq. multò rariora sunt, quàm in morbis acutis, maximè mali moris, uti ex putore utrorumq. valdè diverso, autumare licet.

74 Nec prodest allegare, Putorem istiusmodi, licèt minùs fœtentem in Phthysicis morbis, quàm in Epidemicis, esse tamen virulentiorem: Qui Tabes Pulmonum, utpote occulta, & lentior, clanculum inficit quosquos attingit. Præterquamquod hæccine cantilena gratis omnino circumcinitur a Contagionistis, magis magisque exploditur ex eo, quod passim occurrunt & alij morbi, æquè saltem Tabidi, æquè Lenti, æqualeq. Virus expirantes, ac Phthysicus, utputa Scirrhus, Aposthemata, &c. Hæpatis, Uteri, Renum, &c. Cancer tàm apertus, quàm occultùs Mammarum, Scorbutus putidus oris (*). Ulcera

(*) Circa Contagium Scorbuti, vulgatissimi morbi, ne verbum quidèm antehàc decretum fuit a celeberr. ejusdem pertractatoribus apud W. Swieten Comment. §. 1148. seqq. videndis. Quinimò addit idem Cl. Commentator §. 1151. „ Non videtur certò constare, quod per Contagium propagetur Scorbutus; secus ac de Variolis, Lue venerea, Scabie, &c. novimus „ Contra opinatur Do. Jo. Bona Clinicus Veronensis tract. Italico De usu, & abusu Caffè. Liburni 1762. pag. 43. ubi ait „ Animadvertendum præterea, Scorbutum esse morbum contagiosum; & propterea ex usu bibendi Caffè in officinis posse facilè contrahi „ Cujus tamen, & aliorum, mala hominibus ominandi, passim usitata cacoethes quanti facienda sit in conspectu aliorum eidem seriò repugnantium, vel silentium, judicet qui velit. Sufficit nobis pro hac vice admonere Lectorem: Quod in recenti Exploratione novarum Orbis regionum factà a Celeberr. Cook Archithalasso Anglo, ùbi ex professo agitur de Scorbuto, ne verbum quidem agitetur de Contagio. Videsis autographum Gallice redditum „ Voyage

ra tandem cacoethes ubivis corporis; dequibus tamen nemo bonus ausus est adhùc definire, esse contagiosos.

75. Hinc est, quod, licèt nosmetipsi ab ineunte ætate eandem Contagionistarum & cogitandi, & loquendi formulam cooptati fuerimus, posteà verò in ipso ferme tyrocinio Clinicès, cum crebri sese obtingerent casus visendi, atq. tractandi Phthysicos, modò per domos, modò in Nosocomijs decumbentes, & occumbentes; notaremusque attentè morbi feralis initia, atq. progressum, non parvi, fateor, concitabantur in mente tumultus adversùs vulgaria, eademq. nostra contagij Phthysici murmura: donec impensiori in posterum adhibità mentis attentione ad casus passim obvios, tot, tantisq. observationibus obruti sumus, pristinæ sententiæ ad oculum fermè repugnantibus, ut de tollendo inani contagij Phthysici metu seriò cogitaverimus.

His comparavimus quidquid boni ex prudentiorum sodalium documentis colligere potuimus; illudq. adamussim respondere observatis nostris invenimus. Observatis, inquam, nostris: Quosquos enim hactenùs tractavimus Phthysicos; tractavimus autem ferè innumeros; omnibus

dans l'Hemisphére austral par Jacques Cook, &c. To. VI. Discours sur la santé des Gens de mer, prononcé à la Societé Royale de Londres le 30. novembre 1776. par le Chevalier Pringle „

Quid quod eundem Scorbutum a contagio impigrè vindicat recentiss. Gallus Bosquillon, ubi de Elephantiasi sup. laud. ad num. 56.: novit igitur palàm, hunccin: morbum a contagio esse immunem: Nemini siquidem Clinicorum, ut hoc obiter moneam, licet absq. reatu conscientiæ prædicare contagij expertem morbum in populo communem, qualis est Scorbutus, nisi certò constet eidem de illius carentiâ.

bus sedulò perpensis, Phthysi correptos fuisse invenimus ex causis longè dissitis a contagio vulgi.

76. Ita vidimus primo: Consanguineos, de quorum hæreditaria labe fama publica aderat, etsi a se invicèm domicilio remotos, Phthysi tamen correptos. Vidimus secundo: Plures inter rusticos, atque infimæ plebis homines utriusque sexùs, ab omni contagio, seu commercio Phthysicorum exemptos, Hæmophthysi, Phthysi, Tabe gradatim correptos, consumptos; eorum verò conjunctos, per totum morbi decursum in eodem gurgustio, & quasi Phthysi-thecà, simul inclusos, ab omni tamen Phthysi semper incolumes. Vidimus tertio: Plures durà pauperie tractos, tam vestibus, quàm varià suppellectili Phthysi defunctorum utentes, & tamen nunq. de Phthysi vel cogitantes; diu in posterùm benè valentes; alijsq. longè morbis correptos, servatos, mortuos. Quis enim vero demonstret tantam indulgentiam in alio quovis morbo, reverà contagioso?

77. De exemplo innoxij commercij cum Phthysicis in Nosocomijs infra fusiùs: cui accedit speciosa consuetudo, quæ servatur in quibusdam Germaniæ provinciis (de Bavarià singillatim ex teste fide digno nobis constat): Ubi, quoties ægrotat quispiam, apud ditiores intellige, infamatus nomine Phthyseos, cum eo quasi de vitando agitur a conjunctis, atq. familiaribus, donec abluatur de infamià: interim verò largà mercede conducunt fœminas, conditione pauperes, quæ eidem per omnia ministrent: Eventu tamen adeò contagioni inversò, ut quæ ante præd. officium seu commercium cum Phthysicis, macræ vide-

bantur, emeritâ conductione, discedant pingues, atq. valentiores; ob popinam puta liberaliorem.

Quid plura? Rogo causam, quare universi morbi, Podagra, Tertiana febris, Odontalgia, &c. seu non sint, seu saltem non habeantur pro contagiosis. Responsum adplica ad casum nostrum. Scilicèt, quia, etsi morbi in populo promiscui, a Clinicis tamen, res promiscuas criticè discernentibus, non observatur inter duos, tresve singulorum horum morborum ea connexio, qua opus foret pro adstruendo contagio. Idem dic de morbo Phthysico.

§. VIII. *Ultima Contagij proscriptio.*

78. Cuiquam forsitàn videatur, satis hucusquè nos dixisse pro convellendo famosiss. contagij Phthysici commento. Longè tamen absumus a tanto auspicio, donec constet ex seqq. de extremà ejusdem fallaciâ. Jam non quæritur, sed contemnitur universale Phthyscos contagium, vulgo hactenùs receptum: Idem tamen asseritur pro illis omnibus, qui ex propriâ naturâ, atq. temperie fuerint *Prædispositi* ad hunccine morbum. Hanc mediam viam tenuerunt plures, in præcedentib. allegati AA.; novissimè verò eadem tradita est auditoribus suis a Do. Franc. Bagno, Præceptore Neapolit. (1), cujus integram de hac re sententiam en fideliter transcriptam.

79. „ Hujus contagij fundamentum in ratione, & experientia injectum esse, communi omnium sermone docetur. Di-

(1) Universa medic. Practic. & Neapoli 1785. Lib. III. artic. VI. sub medium,

Dicunt enim Pulmonum pus diversum esse ab omni alio pure, quod in alijs visceribus elaboratur peculiaris visceris structura, peculiaris humorum confluxus, mirabile commercium cum aere athmosphærico, &c. in pulmonibus sempèr factum, pus peculiaris indolis, scil. contagiosæ, generare possunt. Per expirationem itaq. e pectore Phthysicorum exhalant, sive viventes, & inorganicæ particulæ, venenatæ, quæ intra pulmones sani hominis (nàm brutorum animalium alia est conditio, huic contagio haud subdita) receptæ, ulcus excitant, Phthysimq. arcessunt, quæ idcircò dicitur *contagiosa*, & contagio *per distans* communicanda. En ratio, cur, non aliud, quàm pulmonum pus contagiosum sit. Rationi addunt experientiam; qua omnis ævi, omniumq. nationum gentes phthysi pulmonali contagiosà mori datur observare. Integras familias contagioso hoc morbo extingui, novum non est videre. Verum & Veteres, & Recentiores auctores de phthysis pulmonalis contagione aut nulla, aut perquàm perfunctoria verba habent. Galenus lib. de febrib. 1. cap. 3. tantum ait: *periculosum est consuescere his, qui tabe tenentur, atque in totum cum omnibus, qui putridum adeò respirant, ut domicilia, in quibus decumbunt, gravitèr oleant*. Trallianus, Ægineta, Aretæus, alijque magni nominis inter veteres viri nc verbum quidem de hoc contagio mutire videntur. Sydenhamus, Boerhavius, Hallerus, Swietenus, aliisque inter recentiores præstantissimi viri de hujusmodi contagio penitus silent. Verùm si in rebus dubiis definiendis sola experientia valet, quid nobis pluribus ab hinc annis in incurabilium

no-

nosocomio phthysicorum curam gerentibus, diligenterq. omnia observantibus, datum fuit videre, libentèr exponemus. Omnium ætatum homines petunt phthysicorum locum. Ex his plures nullo phthysis pulmonalis vestigio laborant. Alij ad phthysim proni extant, reliqui phthysici omnino sunt. Primi, si nullam ad phthysim habeant dispositionem, nunquam phthysim per contagium contrahunt. Dormiunt inter phthysicos confirmatos, phthysicorumq. indusijs utuntur, excernunt fæces uno in loco, nec debità aeris innovatione atq. purificatione (angustum est hoc pauperum multorum domicilium) gaudere possunt. Interim non solum phthysim non contrahunt, sed frequenter e suis morbis curati discedunt. Superioribus mensibus degebant inter phthysicos juvenis annorum 25. rheumatismo gallico laborans, qui molestà pariter tussi vexabatur. Post tres menses tussis extincta penitus est, & in locum litui mercuriali destinatum missus est. Hydrargyrosim plenam substinuit, & decem ab hinc diebus omnino sanus a nobis discessit. Quintus nunc currit annus, quo asthmaticus homo inter phthysicos reperitur eodem modo, quo erat dum prima die nosocomium petebat. Omnes juvenes nostræ praxi adsistentes quotidie non sine animi admiratione vident discedere homines, diu inter phthysicos commorantes, absq. ullo suscepto contagio. Si institutionum ratio ferret multarum rerum eloquium, longum catalogum afferrem omnium eorum, qui nullam contagionem susceperunt, inter phthysicos diu commorantes. Hoc demonstrat, non dari pulmonalis phthysis contagium.

At

At quì fieri potest, ut haud rarò adsistentes Phthysicis, dormientes in domibus, phthysicorum effluvijs fœdatis, utentes lecto, vestibus, indusijs phthysicorum, phthysim contrahunt, & moriuntur (*) ? Credimus cum Galeno, quem nuper meminimus, phthysim pulmonalem inter morbos putridos esse collocandam. Et quemadmodum omnis putridus morbus, prævia corporis dispositione, contagiosus est, ita & phthysis pulmonalis, quæ, ut ab infecto corpore in sanum transeat, morbosà dispositione indiget.

Hujusmodi communicatio non par est ei, quam pestis facit. Nam quemadmodùm multi, inter morbos putridos commorantes, & degentes, incolumes evadunt, ita qui inter phthysicos, & phthysicorum res degunt, morbum non suscipiunt. Qui hæreditarià labe, corporis malà dispositione, diuturno pectoris catarrho, &c. ad phthysim habendam disponitur, evitet necesse est phthysicorum commercium. Et qui hujusmodi dispositione carent, etiam ab hoc commercio debent abhorrere. Nam in morbis, quibus contrahendis interior semper dispositio requiritur, nimia cautio nunquam inutilis est. En ratio, cur a phthysicorum loco ægros non phthysicos abjiciendos curem; curque me, meos amicos, & familiares a phthysicorum commercio arceam. Qui itaq. morbosà dispositione phthysicos, & eorum res tractant, phthysim contrahunt, & moriuntur ,, Hactenùs L. A.

80. Eheu miseram palinodiam! mirantur Discipuli, fatetur Magister: immo idoneis productis exemplis, *De-*

(*) Responsum pete suprà a num. 65. in posterùm.

monstrat, non dari pulmonalis phthysis Contagium. Quo ergo titulo se, amicos, atq. familiares; verbo, omnes a Phthysicorum commercio arcet? Est ne hic ludus puerorum; ubi cuncti fere homines obvolvuntur undis perturbationum, atq. timoris contagij Phthysici? horrentque a sæculo ad aspectum luridum Phthysicorum, non secus ac Pueri audito nomine Spectrorum? Denuntiat itaque A., *Quicumque ad Phthysim disponitur, evitet necesse est Phthysicorum commercium*. Apage sermonem humanæ societatis hostem, utpote nullo catalogo tali commercio infectorum ornatum. Quis enim vero, nisi Supremo numine adflatus, securus esse potest, se non esse dispositum ad quemcumq. morbum, & eo ampliùs ad Phthysim pulmonarem? Ego sane vidi plures quasi athletas, qui ne suspicabantur quidem de Phthysi, Phthysi consumptos. Unde hæc singillatim diluere nostrum est.

81. Interea parùm a L. A. abludere videtur recentior alter, idemquè celebris Cullen, dum ait (1) „ Supponitur passim a medicis, Phthysim esse morbum contagiosum; nec ego ausim asserere nunquàm fuisse talem, sed post plura centena exempla hujus morbi, quæ ego vidi, vix unum reperi, ubi Phthysis videretur mihi producta per contagium „ Parùm, inquam, abludit; dum timori, ac suspicionibus aditum patefactum relinquit per illa verba, *Nec ego ausim asserere, nunquam fuisse talem*. Quem tamen religiose admodum obstruit egregius ejusdem

(1) Elemens de medecine pratique par Mr. Cullen (Professeur à Edimbourg) avec les notes de Mr. Bosquillon Professeur Ecuyer de la Faculté de Paris. Paris 1787. To. II. Part. I. Lib. IV. chap. 4. Sect. 2. num. 886.

dem Commentator Do. Bosquillon, admonitus certè non ab instinctu majorum, uti assolet, sed a proprio intuitu, mordicùs persecuto, uti decet hodiernum Clinicum, per hæc verba (1).

82.„ Dissimulare non possum, me dubitare vehementer, Phthysim fuisse unquàm naturæ a tæ ad contagium. Non designatur modus, quo prætensa contagio se propagat; & exempla, quæ afferuntur ad eandem probandam, videntur fuisse malè observata. Tribuerunt contagio quod tribui debuerat alteri causæ. Post viginti, & ampliùs annos, quib. occupatus sum in observando attentè; & quod maximam partem hujus temporis fungens officio visendi pauperes infirmos per plures paræcias Parisiorum, habuerim opportunitatem videndi millium, ni fallor, Phthysicorum numerum, omnimodà perquisitione habità, certior fieri non potui, vel unum eorum devenisse Phthysicum ex alterius contagio; vel quod ipsemet communicaverit alijs simile malum: quamvis maxima pars horum ægrorum habitaret, cubaretque cum hominibus sanis, in habitaculis parvis, squalidis, parùm ventilatis; & ubi reperiebantur conjunctæ omnes causæ capaces ad reddendam activitatem contagio„ etc. quæ videsis ibid.

83. Majora sunt hæc, quàm ut cavillis Dispositi, & Nondispositi satisfiat: pro quibus convellendis satis est quod experiamur quotidie. Quod pronus in Phthysim fit Phthysicus eodem, vel pari causarum ordine, quo dis-

(1) Ibid. not. (a).

dispositus in Pleuritidem fit Pleuriticus, in Ophthalmiam Ophthalmicus, in Rachitidem Rachiticus, & sic de reliquis, absque murmure contagij. Quin valeat exemplum morborum putridorum ex Galeno petitum: Quippè in his Epidemicum genium manifestè lucet, ac totus homo corrumpitur intùs; secus ac evenit in Phthysi Pulmonari; unde etiam satis probabile videtur, illorum effluvia decuplo magis inficere proximam athmosphæram, quam effluvia Phthysica: uti palàm ostendit eorum nosocomiorum Experientia, in quibus laudabili providentià Phthysicorum Diversoria separata sunt a reliquis ægrotis. Ubi nempè Tabidis frequentèr assident plures, curam, famulatum, aliaq. ministeria præstantes, non secùs ac alij alibi ægrotis non suspectis; adeo tamèn diversà fortunà, ut passim eveniat, ministros phthysicorum nunquàm Phthysi, reliquorum verò ægrorum febri, quam Nosocomicam vocant (*), frequentèr corripi. De mente autem Præceptoris Neapolit. esse videtur, has febres non inficere nisi Dispositos: interea infame contagium parcit alijs præ alijs. Perperàm igitur inventa est hæccine media via advocandi contagium Phthysicum; cum potiùs sit captiosissimum trivium augendi frustrà ingenuorum civium angustias.

84. Pro quibus indesinentèr dissipandis, en pauca, verùm idonea (*) exempla, perquàm attentè a me observata. Primum: Duæ sorores erant, ambæ virgines, altera 30., alte-

(*) De quâ postremò, quod sciam, perdoctè tractatà videsis Petrum Jo. Vastapanni. Mediolani 1779.

(*) Quippè quæ sunt Negativa; ideoquè Centenis adversariorum Positivis destruendis appositissima: Ex dictis ad Elem. Critica num. 34.

altera verò 26. circitèr annorum ; quarum major efflo-rescentiæ quasi scabiosæ , maximè ad artus inferiores , periodicè recurrenti , jam diu subjecta erat . Instabat hy-bernum tempus 1786. , dùm suppressà efflorescentià , deficientibusque catamenijs , erumpit Hæmophthysis ; cui succedit febris Catarrhalis ; auctisq. in dies tus-si, diarrhæà , difficili anhelitu , sudoribus nocturnis , &c. moritur die 14. Julij 1787. Altera vicissim soror vomitu paulò post pastum perpetuo , alijsq. ærumnis jam pri-dem vexata , cubabat in eodem , & quidem perangusto cubiculo cum sorore majore;dùm ecce ineunte Vere ejus-dem an. 1787. suppressis catamenijs , gravi paritèr Hæ-mophthysi semèl , iterùmq. corripitur ; succedentè tussi molestà , & febre periodicà. Quibus a me perpensis, spu-to sanguinis potu gelido , febri autem Cortice Peruv. ; cæteris verò ærumnis motu corporis, victuq. gratissimo obviàm itur; eo rerum successu,ut post 40. circitèr a mor-te sororis dies , abactà febri, tussi , antiquo vomitu ; ver-bo, cunctis ærumnis, optatissimam valetudinem recupe-raverit ; qua adhucdùm integerrimè potitur . Rogo : erat ne Disposita ? imò & malorum sororis jam diu socia .

85. Alterum : Vir 35. circitèr annorum , fili Serici è Bombycibus Tractor, pluries pridem Hæmophthysicus , ineunte anno Domini 1789. , Tussi , Febri , alijsque æru-mnis , idemtidèm recrudescentibus , paulatim Phthysi-cus effectus , sub finem seq. Octobris , patrium aerem , itinere unius diei distantem , experiundi causà, a me dis-cedit . Intereà ejusdem uxor , ætate junior , tempera-mento delicatulo , rutilo-sanguineo (in Phthysim aptis-

si-

simo) donata, quatuor ab hinc circitèr mensibus masculæ prolis mater, & nutrix, Synocho putri corripitur: post cujus decursum, per dies 15. laudabilitèr exantlatum, ob inconsultè ablactatum Puellum, lacte in Pulmones retropulso, incidit in tussim molestissimam; indeque febrim Hecticam: Dum ecce conjux, conclamatis rebus suis, e patria redux, decumbit simul in eodem lecto, ac etiam paucos post dies, nempe die 21. novembris ejusd. an. in uxoris hecticæ latere moritur Tabidus. Ipsa tamèn, post bimestre circitèr spatium, restitutà paulatim (*) secretione lactis; nullo ad hunc scopum a nobis consulto præsidio, præter exquisitissima alimenta, animique tranquillitatem, integrè convaluit & adhùc valet quam antehàc prosperior. Rogo iterùm: Eratne Dispositá? Quinimò Hectica. Quo modò ergo Parca salutaris Parcam feralem fefellit? Hæret aqua.

86. Hæc sane gravia sunt; sed graviora supersunt. Nimirum opinio Contagionistarum, præter hactenus dicta duo alia peperit Scandala: Quorum alterum est prava excusatio vitiorum; alterum vero impia vexatio miserorum. Primi exemplum est: Quod plures, qui ex furtiva venere Luem contraxerunt, ex Lue verò Phthysim; pro excusandà prævaricatione apud majores, vel æquales, accusant passim contagium; non reale libidinis, sed fucatum Phthyseos: Queritando videlicèt,, Ideò magnæ spei adolescentes A,B,C, raptos esse morbo ferali Phthyseos, quia nimis incautè cum Phthysicis D, E, F, consue-

(*) Norunt Prudentes, quàm difficilis aleæ sit emendare mala, Nutricibus a metastasi Lactis accidentia: Quippè quæ sunt nedùm in Hecticam, verùm etiam in Tabem maximè proclivia.

sueverint, domum ab illis habitatam habitaverint, eorumvè expolijs usi fuerint „ Cum tamen ex Libidine perierint. Adeò „ Facilè est Barbato imponere regi „ Juven. Satyr. IV.

87. Alterum, & magis exsecrandum incommodum est, quod plures Phthysi decumbentes per pagos, vel etiam Urbes, ob contagij formidinem abhorrentur atque derelinquuntur a notis & necessarijs, denegando miseris & necessaria officia munditiei, atque servitutis: uti non semel observavimus. Neque id satis; Deplorandum super omnia, Quod aliquando inter ipsos Catholicos hisce oculis nosmetipsi vidimus; privatos nempè Phthysicos Sacris piaculis Auricularis Confessionis, &c. ob phantasticum terrorem Sacerdotum contrahendi ex tali officio eundem morbum. Proh nefas!

Nos contra, Superis grates, quamvis habitu corporis valetudinarij, post pervicacem Experientiam, De inani commento contagij Phthysici adeo sumus persuasi, ut cum Phthysicis cujusvis gradus, & conditionis, eorumque exuvijs, adhibitis tantum obvijs (idque negligentiùs, quàm in reliquis confluentibus morbis) munditiei cautelis, impigrè, semper, & absque minimà noxà consueverimus.

Hæc ideo allata sunt, A.L., ne frustrà in posterùm, dùm morbi Phthysici contagium expavemus, veras Phthyseos causas novisse, atq; vitare negligamus. Vale.

FINIS.